# DISSERTATIO
# *DE*
# NOBILITATE
# ROMANA,
# ET EJUS INSIGNIBUS.

Honori

*Perilluſtrium, Reverendorum, Prænobilium,*

*Nobilium, ac Eruditorum*

DOMINORUM

AA. LL. & Philoſophiæ

**DOCTORUM**

Cùm

*In Antiquiſſima, ac Celeberrima*

**UNIVERSITATE**

**VIENNENSI**

*PROMOTORE*

**R.P. LUDOVICO DEBIEL**

è Soc. JESU,

AA.LL. & Philoſophiæ Doctore, ejusdémq; Profeſſore Emerito, nec non Inclytæ Facultatis Philoſophicæ p. t. Seniore, & Conſiſtoriali.

*SUPREMA*

AA. LL. & Philoſophiæ Laureâ ornarentur;

*Inſcripta*

Ab Illuſtriſſima Rhetorica Viennenſi.

Annô CIↃ· IↃCC. XXXIV.

Typis Mariæ Thereſiæ Voigtin Viduæ, Univerſ. Typogr.

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/dissertatiodenob00debi

*PERILLUSTRES,*
*REVERENDI,*
*PRÆNOBILES, NOBILES,*
AC
*ERUDITI DOMINI,*

DOMINI

# NEO-DOCTORES PHILOSOPHI.

*SCutariæ Arti, quam annô lapsô Veſtris dicavimus honoribus, diſſertationem de Nobilitate Romana, ejúsque inſignibus, Veterum nummis illuſtratam ſubjicimus. Ab ætate noſtra ad Antiquitatem regredimur; quò vel ſic ſtudiorum quadam communione majorem à Vobis gratiam iniremus. Sequimur; ſed non ùt æmuli, verùm propè diſcipuli, nec paſſibus æquis. Novimus etenim, quantâ Germaniam Univerſam Veſtri commendatione ſuperioris anni lucubratio impleverit; quantum eidem Græcorum nummorum adhucdum ireditorum, quorum hodie*

*expo-*

*expoſitionem datis, deſiderium injecerit. Eri ſanè; ut exemplô Veſtrô alii deinceps ſeverio rum diſciplinarum fatigium jucundiſſimo ho juxta, ac utiliſſimo eruditionis condimento le- nire condiſcant. Eo quoque fine hunc nos li- bellum aliis conſcripſimus, vobis verò honoris causâ obtulimus. Quòd ſi tamen, quæ Veſtra erit humanitas, paginas has Veſtro quoque oculo dignabimini; id compendii facietis; ut quæ fusè, ac diviſim in aliis perquirenda fo- rent; paucis his foliis comprehenſa inſpicere poſſitis. Quid verò, qúòd ea quoque omnia honorum inſignia hìc deprehendetis, quæ, ùt in ſacra, ac profana, eáque tum togâ, tum ſagô inclytâ republica aliis quondam decreta ſunt; ità vobis hodie eorum ornamentorum ſymbola exiſtunt, queîs Vos veſtraque merita ætas hæc noſtra ornabit. Quorum partem dum hodie Vobis gratulamur, reliqua deinceps Vobis non ex vano ominamur.*

Honoribus Veſtris

*Devoti*

Rhetores Viennenſes.

NO-

# NOMINA
## OFFERENTIUM
*Ordine Alphabetico.*

Carolus Joſephus L. B. à Leyſſer.
Carolus Leopoldus L. B. ab Hacklberg, & Londau.

*Equites, & Perilluſtres.*

Antonius Ignatius Luchs de Lechſenfeld, S. R. I. & Hungariæ Eques.
Antonius de Rechtenberg.
Carolus Ignatius Albrecht ab Albrechtsburg, S. R. I. Eques.
Chriſtophorus Joſephus Weber, de Fürnberg S. R. I. Eques.
Edmundus de Fack.
Franciſcus de Ehrenthall, S. R. I. Eques.
Franciſcus Nobilis de Gerſtorff, S. R. I. & Regni Bohemiæ Eques.
Franciſcus de Hartmann.
Franciſcus de Heinz.
Franeiſcus Joannes Nobilis à Cooper.
Franciſcus Xav. de Turba, S. R. I. & Regni Bohemiæ Eques.
Fridericus de Lewenau.
Michaël Joannes Hernandez de Xaramillo, è Cæſ. S. J. Conv. Collegio.
Joannes Wenceslaus de Turba, S. R. I. & RegniBohemiæ Eques.

Jo-

Joſephus de Hartmann.
Joſephus de Pauli ab Enzebühel.
Joſephus Sartori.
Joſephus de Widemann.

## *Prænobiles, & Nobiles.*

Amadeus Hittner.
Antonius Kronowetter.
Arnoldus Kramer.
Bernardus Hittner.
Carolus Ott.
Carolus Seyff.
Chriſtianus Weltiſchoffer.
Franciſc. Achtsnitt.
Franciſcus Fridrich.
Franciſcus Hertelli.
Franciſcus Inama.
Franciſcus Mayr.
Gabriel Tarnozzi è Cæſ. S. J. Conv. Coll.
Ignatius Mitterſtiller.
Ignatius Rieger.
Joſephus Allio.
Joſephus de Bolza.
Joſephus Kolhund.
Joan. Paulus Schuler.
Matthæus Richter.
Melchior Rathgeb.
Michaël Hagl.
Simon de Scherzer, è Cæſareo S. J. Convictorum Collegio.

CA-

# CAPUT I.

## DE
## Homine Plebejo, & Novo.

DE nobilitate Romana, ejusque inſignibus dicturi operæ pretium duximus, paucis, qui *Ignobiles*, qui homines in republica *Novi* fuerint, explicare: ut enim a tenebris majus eſt lucis pretium, ita major ab ignobilibus ad nobilitatem ſplendor accedit.

I. Ignobiles, & plebejos illos dicimus, qui humili loco nati, obſcuri, & ut Cicero inquit *Philip. VI.* à ſe orti, nec *ſuis*, nec *majorum imaginibus* commendati, & nullo præclaro facto ſuam gentem illuſtrarunt, qualem Suetonius *in Veſp.* ſcribit, fuiſſe, Flaviam gentem, obſcuram & ſine ullis imaginibus. Hi militiam, & caſtra ſecuti, clypeo duntaxat candido utebantur, uti Helenor apud Virgilium Æn. Lib. IX. verſ. 548.

*Enſe levis nudo, parmaque inglorius alba*, in qua ſua præclare geſta depingeret.

Viri enim principes, aut ſuæ gentis, aut factorum ſuorum inſignia, ut infra dicemus cap. II. præferebant deſcripta in Clypeis, ut Turnus *Inachum* Æn. VII. v. 790. Aventinus *Hydram Herculis* ibid. v. 657.

II. Cum vero *Plebeji* ab omni Magiſtratu remoti, a patribus contempti, regie haberentur, & crudeliter vexarentur, facta in Montem Sacrum ſeceſſione, peculiarem a ſenatu Magiſtratum extorſerunt, qui ſe contra Conſulum avaritiam, & Nobilium ſuperbiam tueretur; Erat hæc tribunitia poteſtas, quæ niſi a plebe, ſuſtineri non poterat. Quæ plebis dignitas eo tandem Majeſtatis progreſſa, ut, ne ab eadem excluderentur, gentes etiam patritiæ plebejis hominibus ſeſe adoptandas dederint; ſic legimus apud Suetonium in D. Jul. Cæſ. c. 20. P. Clodium e patritia *Claudiorum Pulchrorum* domo ad plebejam M. Fonteji familiam, traductum eſſe, jura nimirum patriciorum repudiando, ut ait Sigon. Lib. 1. *De antiquo Jure civium Romanorum* c. 7. & plebis jura ſumendo; Verba Tranquilli hæc ſunt: *Cicerone in judicio quondam deplorante temporum ſtatum, P. Clodium inimicum ejus fruſtra jam pridem a patribus ad plebem tranſire nitentem, eodem die horaque nona transduxit*, Cæſar nimirum. Idem refert de familia Octaviorum: *Ea gens a Tarquinio Priſco rege, inter Romanas gentes allecta in ſenatum, mox a Serv. Tullio in patritias transducta, procedente tempore ad plebem ſe contulit.* Hæc Suet. c. 1. in D. Octav. & certe non alia de cauſa, quam ut ad tribunatum Plebis, magnum ad potentiam in republica momentum, aſpirarent; Hic tamen

tamen mos, ut cætera omnia, exolevit, adeo, ut patres, quin a plebe adoptarentur, hanc dignitatem; hac vero plebis gratiam obtinerent; Suet. in D. Octavio C. 10. refert de Auguſto: *& quo conſtantius cætera quoque exequeretur, in locum Trib. plebis forte demortui candidatum ſe oſtendit*; & ibid. c. 27. *Tribunitiam poteſtatem perpetuam recepit: in qua ſemel atque iterum per ſingula luſtra collegam ſibi cooptavit.* Idem videre eſt in numis Tiberii, & Caji,







& Romæ juxta ædem S. Andreæ legitur in vetuſto lapide:

OSSA.
TIB. CAESARIS. DIVI. AUG. F. AUGUSTI.
PONTIFICIS. MAXIMI. TRIB. POTEST.
XXXIIX. IMP. VIII. COS. V.

III. Novi vero homines qui ſint, ſcribit Plutarchus in Cat. Maj. *Novos eſſe appellatos*, qui non ex genere commendationem haberent, ſed ex ſe, ex ſua nimirum virtute, cognoſci inciperent; cum primum enim plebejus ſuis bene geſtis, aut domi, aut militiæ, inclareſceret, *Novus* eſt compellatus,

& ſuis duntaxat, non vero majorum imaginibus illuſtris, unde ſuam familia duceret originem. Faſſus eſt Cicero *Oratione pro Plancio*, ſe à ſe ortum, *& in Catil.* ſe hominem eſſe per ſe cognitum, nulla commendatione majorum. Hos, *Novos* nimirum homines, quamvis gentes patritiæ tulerint ægerrime, quorum ſcilicet virtute ſuas imagines obſcurari, nec immerito, arbitrabantur; ſummis tamen magiſtratibus admotos accepimus: Cicero *in Verrem* teſtatur, ſe hominem, *Novum* licet, ædilem deſignatum, & Orat. 2. de lege Agraria, ſe perlongo intervallo prope memoriæ temporumque ſuorum primum, hominem *Novum* Conſulem factum, & eum locum, quem nobilitas præſidiis firmatum, atque omni ratione obvallatum tenebat, ſe duce reſciſſum virtutique impoſterum patuiſſe; Quo jam pridem honore gloriabatur C. Marius, cui licet, teſte Salluſtio in bello Jugurth. nullæ imagines, & nova duntaxat nobilitas eſſet, ad invidiam Metelli, perculſa nobilitate, poſt multas tempeſtates mandatus eſt conſulatus. Tacitus L. III. Annal. c. 55. Imperante Tiberio, ſcribit *Novos homines* e municipiis & coloniis, atque etiam provinciis in ſenatum crebro adſumptos, quos inter Veſpaſianus erat e plebeja, ut ſupra diximus, Flaviorum gente. Imo major ſæpe Novorum eſt habita ratio, quam nobilium, qui ſuis imaginibus, majorumque præclare factis contenti virtutem ignavi negligebant, & rempublicam; hinc merito Metelli, a quo ſuam contemni queſtus eſt novitatem, Marius ignaviam reprehendit. Dum ait: *Comparate nunc, Quirites, cum illorum ſuperbia me ho-*

*minem Novum. Quæ illi audire, & legere ſolent, eorum ego partem vidi, alia egomet geſſi, quæ illi literis, ego militando didici. Nunc vos exiſtumate, facta an dicta pluris ſint; contemnunt novitatem meam, ego illorum ignaviam, mihi fortuna, illis probra objectantur.* Cicero Phil. VI. gratias pro conſulatu acturus patribus, ait: *Quid non debeo, vobis, Quirites, quem vos à ſe ortum hominibus nobiliſſimis omnibus honoribus prætuliſtis*; Livius vero de bello Punico teſtatur ejusmodi *Novos* homines, etiam invitos primis ſubſelliis admotos eſſe, neglectis gentibus patriciis, cum oraculo proderetur, *Romanos non habituros ante finem belli Punici, quam conſulem vere Plebejum, id eſt hominem Novum feceſſet.* Hæc de *Plebejis*, hæc de Novis, a quibus cum proximus ad nobilitatem ſit gradus, de nobilibus eorumque ſignis ſequenti capite plenius diſſeremus.

# CAPUT II.

## De Nobilibus, & eorundem Imaginibus.

I. QUi ſuis, & majorum *Imaginibus* inſignes erant, *Nobiles* ſunt compellati; idem enim jus erat nobilitatis cum jure ponendæ imaginis. Eſt autem *Imago*, teſte Polybio L. VI. inſignis alicujus viri ſimulacrum, oris ſimilitudinem artificioſe effictam, coloribus pigmentisque adumbratam referens; Plinius contra L. 35. c. 2. ait, *Imaginem* non fuiſſe ſigna externorum artificum, nec ærea, aut marmorea, ſed expreſſos cera vultus; unde Juvenalis Sat. VIII.

*Tota licet veteres exornent undique ceræ*
*Atria.*

Quidcunque hac de re ſtatuatur, pictæ fuerint, cereæ, marmoreæ, aut æreæ, id demum certum exiſtimo, imagines non ſemper easdem fuiſſe cum clypeis, ut Lipſius autumat ad L. II. Taciti. n. 214. quod patet ex Suetonio in Domit. *Senatus adeo lætatus eſt, ut repleta certatim curia ſcalas etiam inferri, clypeosque, & Imagines ejus coram detrahi, & ibidem ſolo adfligi juberet.* Vides, ut Tranquillus ſcrupulum omnem eximat.

II. *Imagines* porro vel in atrio collocabantur, ut modo cit. Juvenalis; aut in inſigniori, aut celebriori domus parte, armario includebantur, ut vult Polyb. L. VI. aut in curia, ut Catonis Cenſorii; aut in templo, & capitolio, ut Africani, deponebantur & quaſi conſecrabantur; de quibus Valerius Maximus L. VIII. c. 13. *Africanus imaginem in cella Jovis Opt. Max. poſitam habet, quæ quotiescunque funus aliquod Corneliæ gentis celebrandum eſt, inde petitur, unique illi inſtar atrii capitolium eſt: Tam hercle, quam ſuperiori Catoni Curia; unde effigies illius ad ejusdem generis officia expromitur.*

III. Jus tamen imaginum erat *Curulium* duntaxat Magiſtratuum proprium, *Aedilium* nimirum, *Prætorum*, *Cenſorum*, *Conſulum*, eo præſertim fine, ut eorundem memoria ad poſteros transmitteretur, ut Cic. teſtatur in Verrem. V. cap. 36. eorundemque animi ad præclare facta accenderentur; Hinc Princeps Romanæ hiſtoriæ in bello Jugurth cap. IV. *Nam ſæpe audivi Q. Maximum, P. Scipionem, præterea civitatis noſtræ præclaros viros ſolitos ita dicere,*

*cum*

*cum majorum imagines intuerentur, vehementiſſime ſibi animum ad virtutem accendi: ſcilicet non ceram illam, neque figuram tantam vim habere, ſed memoria rerum geſtarum eam flammam egregiis viris in pectore creſcere.*

IV. Quo vero vetuſtior erat nobilitas, eo plures numerabantur imagines, dicebaturque aut multarum vir imaginum; ut ait Salluſtius, cap. 85. in bello Jugurth. *Hominem veteris proſapiæ, & multarum imaginum.* Aut paucarum; *Stemmata e*nim, teſte Plin. Lib. XXXV. c. 2. *Lineis diſcurrebant ad imagines pictas*, tam paternas, quam maternas: *Balbus*, ait Suet. in D. Octavian. C. IV. *Paterna ſtirpe Aricinus, multis in familia ſenatoriis imaginibus, a matre Magnum Pompejum arctiſſimo contingebat gradu*; Hinc Livius lib. I. c. 34. Ancum Marcum nobilem vocat una ſolum *Imagine* Numæ.

V. Varius erat *Imaginum* uſus; Exponebantur illæ feſtis diebus, quibus Romani apertis armariis easdem exornarunt, maxime Veſtibus; ſi Conſulares, prætextatis; ſi Cenſores, purpureis; ſi triumphales, auro intertextis. Dein, qui iisdem gaudebant, Magiſtratibus ſeu Urbanis, ſeu Provincialibus, ſeu etiam militaribus præ cæteris ſunt admoti; ſic Cicero objicit Piſoni Conſulatum, dum ait: *Obrepſiſti ad honores errore hominum, commendatione fumoſarum imaginum*, & pro Plancio; *non dubites, quin omnes, qui favent nobilitati, qui imaginibus, qui nominibus veſtris ducuntur, te Ædilem fecerint.* Signabantur etiam ejusmodi *Imaginibus* teſtamenta, acta publica, tabulæ, ut Cicero pro Quinctio teſtatur: *Tum oſtendi tabulas Lentulo, & quæſivi, cognoſceretne ſignum? annuit: eſt vero, inquam, notum ſignum, Ima-*

*go avi tui.* Nec minor erat in caſtris, bellicisque expeditionibus *Imaginum* uſus; quæ aut Vexillis, aut etiam ſcutis, & clypeis inhærebant, ut miles, quem ducem ſequeretur, cujus eſſet legionis, in prælio præſertim, eo facilius agnoſceret; Livius lib. XXV. *In cætera præda Hasdrubalis Clypeum argenteum repertum, ſcribit, cùm Imagine ipſius*; & Macrobius l. 1. Saturn. c. 3. de Jocis Ciceronis: *Cum in ea provincia, quam Quintus Cicero frater rexerat, vidiſſet Clypeatam Imaginem ejus, ingentibus lineamentis usqe ad pectus ex more pictam*; Tacitus vero l. VI. Annal. *Quorum imagines pro vexillis ſecuti eſſent, duces imperatoresque deligerent.* Et lib. II. c. 83. *Equeſter ordo cuneum Germanici adpellavit, qui Juniorum dicebatur, inſtituitque, uti turmæ idibus Juliis imaginem ejus ſequerentur.* Maximus vero harum uſus erat in adornandis Nobilium funeribus; Plinius libro XXXV. c. 2. ait eſſe, *Imagines, quæ comitarentur gentilitia funera.* Cum quo conſentit Valerius Max. L. VIII. c. 15. de *Imagine* Africani in cella Jovis collocata, dicitque, toties inde peti, quotiescunque funus aliquod Corneliæ gentis celebrandum. Tacitus lib. III. cap. 5. *Circumfuſas lecto* (Germanici) *Claudiorum, Juliorumque imagines*, & lib. IV. c. 9. ita deſcribit pompam funebrem Druſi Germanici filii: *Funus Imaginum pompa maxime inluſtre fuit, cum origo Juliæ gentis Æneas, omnesque Albanorum reges, & conditor urbis Romulus; poſt Sabina nobilitas, Appius Clauſus, cæteræque Claudiorum effigies longo ordine ſpectarentur.* De quibus cum plenius ad calcem operis, ubi de Romanorum funere caput adjiciemus, hic ſuperſedendum duximus; Nunc, ut ſuo quæque loco,

loco, certoque ordine digeramus, quæ familias, proles patritiorum, eorundemque ſigna, bullas, & prætextam attinent, capite tertio, & quarto explanabimus.

# CAPUT III.

## De Bullis Prolium Patriciarum.


I. NOn exigua Romanorum cura fuit, ut ſuas proles, certis etiam ſignis, a plebe diſcernerent, ut, qua domo ortæ, quibus parentibus genitæ; Patriciæne ſint, an plebejæ, palam facerent. Hac de cauſa *Bullis* e collo pendulis, & prætexta utebantur; de quibus Cicero III. Verr. n. 108. *Neque tam commovebat ille cum toga prætexta, quam quod ſine bulla venerat.* Erat autem *Bulla*, ut Feſtus loquitur, *inſigne puerorum prætextatorum, quæ dependebat eis a pectore, ut ſignificaretur, eam ætatem alterius regendam conſilio*, diſtincta a *Bulla* militari, quæ ſecundum Macrobium lib. I. Saturn. c. 6. *Geſtamen erat triumphantium*, de qua inferius, ubi de inſignibus militaribus agemus; hic interim ſufficiat dictum Suetonii in D. Julio c. 84. *Matronæ etiam pleræque ornamenta ſua, quæ gerebant, & liberorum bullas, atque prætextas deferebant*; Quod certe de bullis militaribus nequit intelligi; qui enim infantes, & de quo triumpharent?

II. Hæc teſte Propertio L. IV. Eleg. I. erat aurea

*Mox ubi bulla rudi demiſſa eſt aurea collo.*

formæ rotundæ, ut videre eſt in eruditiſſimo opuſculo de bulla Romana Franciſci Ficoroni Romæ

An. 1732. typis dato, cujus & nos hic copiam adjecimus.



Non tamen erat ex auro ſolido, ſed concava, in qua, ut aliquorum fuit error, amuleta contra præſtigia ſervarentur. Pendebat illa e collo parvulis, e Zona aurea, uti præſens Icon exhibet, quam itidem ex doctiſſimo Ficoroni mutuam accepimus.



III. Alii cum Macrobio L. 1. Saturn. c. 6. eandem referunt ad Tarquinium Priſcum, ab eoque inſtitutum, ut Patritii *Bulla* aurea uterentur, illi duntaxat, quorum patres curulem geſſerant Magiſtratum; quod ipſum confirmat Plinius L. XXXIII. c. 1. dum ait, *a Tarquinio priſco omnium primo filium, cum in prætextæ annis occidiſſet hoſtem, bulla aurea donatum eſſe*; & paucis interjectis: *Inde mos bullæ duravit, ut, qui equo meruiſſent, filii inſigne hoc haberent, cæteri lorum*; Hujus antiquitatis teſtem habemus Numum Æmilii Lepidi rariſſimum a Vaillantio in eruditiſſimo ſuo opere de familiis Romanorum, cujus

cujus in margine hæc verba expreſſa leguntur: M. LEPIDUS. AN. XV. PR. H. O. C. S. Hoc eſt: *Marcus Lepidus annorum quindecim prætextatus, hoſtem occidit, civem ſervavit.*



Quem numum Valerius Max. L. III. cap. I. inſigniter illuſtrat: *Æmilius Lepidus, puer etiamdum, progreſſus in aciem, hoſtem interemit, civem ſervavit, cujus tam memorabilis operis index eſt in Capitolio ſtatua bullata, & incincta prætexta, ſenatus conſulto poſita.* Alii contra ſentiunt cum Plutarcho, eamque inſtitutam volunt a Romulo, quamvis in adſignanda hujus cauſa in varias, opiniones diſcedant; Roſinus L. V. Antiq. Rom. cap. 32. cum aliis vetuſtatis peritiſſimis refert, in raptu Sabinarum unam mulierem nomine Herſiliam, dum adhæreret filiæ, ſimul raptam; Quam cum Romulus hoſti cuidam ex agro Latino, qui in aſylum ejus confugerat, virtute conſpicuo uxorem dediſſet, natum ex ea puerum,

puerum, antequam alia ulla Sabinarum partum ederet: eumque quod primus eſſet in hoſtico procreatus, Hoſtum Hoſtilium vocitatum, & eundem a Romulo bulla aurea inſignitum. Idem ſentit, paucis mutatis Plutarchus, cujus in Romulo c.15. hæc ſunt verba: *Nihilominus multos iis mulieribus* (Sabinis nimirum) *honores tributos conſtat, ........, ut pueri iis nati bullam geſtarent: qui ornatus collo circumponitur, & purpura circumdatus a forma nomen habet*; Quod Roſinus cum aliis uni conceſſum, hoc omnibus dicit Plutarchus; alia nulla, niſi quod Sabinæ eſſent, cauſa adſignata.

IV. Dabatur hæc *Bulla* die natali, qua vel a parentibus, aut a ſanguine junctis donabantur. Plaut. in Rudente Act. IV. Scen. 4. *& bulla aurea eſt, pater quam dedit mihi natali die*; & Suet. in Tib. c. 6. *Munera, quibus a Pompeja in Sicilia donatus eſt, & clamys, & fibula, item bullæ aureæ durant, oſtenduntur que adhuc Bajis.* Pueri vero, qui ejusmodi *Bullam* ſupra prætextam e collo pendulam deferebant, *Bullati* nomen obtinuere, de quibus Juven. Sat. XIV. v. 4.

*Si damnoſa ſenem juvat alea, ludit & hæres*
*Bullatus.*

Qui ubi attigerant annum decimum ſeptimum, ſumpta virili toga, *Bullas* Laribus ſuis vovebant, & ſuſpendebant; hinc Propert. L. IV. eleg. I.

*Mox ubi bulla rudi demiſſa eſt aurea collo*
*Matris, & ante Deos libera ſumpta toga.*

Perſius, item Sat. V. v. 31.

*Bullaque ſuccinctis Laribus donata pependit.*

Gruterus etiam hanc Romæ inſcriptionem ad hortos Bellajanos inventam ſcribit, quæ id ipſum mire confirmat:

Ju-

Junoni. Placidæ.
Conſervatrici. Auguſtæ.
Claudia. Sabbatis.
Bullam. DD.
Addit. &. Scyphum. &
Tripodem. Fortunæ. Aug.

V. Habebant & Libertini ſuam *Bullam*, non tamen auream, ſed e corio formatam; de qua Juv. Sat. V. v. 165.

*---- Quis enim tam nudus, ut illum*
*Bis ferat, Hetruſcum puero ſi contigit aurum,*
*Vel nodus tantum, & ſignum de paupere loro.*

Et Macrobius Lib. I. Saturn. c. 6. ſcribit, in bello Punico ſecundo etiam Libertinis eorundemque filiis, qui ex juſta duntaxat matre-familias nati fuiſſent, conceſſum fuiſſe, ut *lorum in collo pro bullæ decore geſtarent.*

Hæc de bulla, cui proxima eſt prætexta, de qua

# CAPUT IV.

## De Prætexta.

DE prætexta ſcripturis difficultas objicitur haud levis; Eſt enim alia *Prætexta* Nobilium puerorum veſtis, ut ex dictis cap. præcedent. colligimus, & Iſidorus Orig. L. XIV. c. 24. ait: *Prætexta puerile pallium eſt, quo usque ad ſedecim annos pueri nobiles ſub diſciplinæ cultu utebantur*; quibus exactis (decimus ſextus enim annus *tyrocinii* compellabatur) eandem poſuere, togamque virilem ſumpſere. Livius contra L. XXXIV. ſcribit & ipſos Magiſtratus

giſtratus fuiſſe prætextatos : *Purpura viri utemur in Magiſtratibus prætextati,* & Propertius Lib. IV. eleg. 1.

*Curia prætexto quæ nunc nitet alta Senatu.*

Non levis inde controverſia, quæ ſit puerorum ? quæ Magiſtratuum prætexta ? idemne pueris habitus, & Magiſtratibus, Pontificibus, Conſulibus, Imperatoribus ? haud crediderim ; aut, ſi eadem adſumenda viris, cut pueris ponenda ? cum tamen A. Gell. L. VIII. c. 4. dicat : *Cum jam adoleſcentuli Romæ prætextam, & puerilem togam mutaſſemus.* An diverſi forſan coloris ab ea, qua Conſules veſtiebantur ? Aſt contra dicit Catullus, Epig. 65. eamque vult candidam fuiſſe :

*His corpus tremulum complectens undique veſtis*
*Candida purpurea Tyrios prætexerat ora.*

& Roſinus lib. V. Antiqu. Rom. cap. 32. adferens diſcrimen togam purpuream inter & prætextam ait, illam in eo differre a prætexta, quia hæc erat *alba cum limbo purpureo circumducto* ; ſi aliquid, quid ergo dicemus ? conjectura opus eſt ; ſi attigerimus, gratulamur nobis ; ſin vero ſecus, ſufficiat voluiſſe. Dicimus itaque, puerorum prætextas, aut breviores, aut anguſtiores fuiſſe, aut alterius omnino coloris, quod omnino placet ; Prætextas enim non fuiſſe ejusdem ſemper coloris, vel ex eo liquet, cum Paulus Diacon. dicat dari etiam prætextas pullas : *Prætexta pulla nulli alii licebat uti, quam ei, qui funus ducebat.* Cur non etiam prætexta Conſulum diſtincta fuerit, & diverſi coloris ab ea, quæ fuerat puerorum ?

II. Eſt

II. Eſt ergo *Prætexta* nobilium puerorum veſtis, quæ teſte Iſidoro de Orig. L. XIX. c. 24. ideo *dicta eſt prætexta, quia prætexebatur ei latior purpura.* Idque fiebat in limbo, & ora veſtis, ut teſtatur Catullus loc. cit. Epig. 65. Unde etiam Græci Scriptores *περιπόρφυρον* vocant, id eſt circumquaque purpuram habentem; hæc in latere dextro recincta, ut homini libertatem ſeſe movendi permitteret, ſupra humerum dextrum fibula conſtringebatur. Unde etiam pueri dicebantur *Prætextati*, ætas *prætextata*, ſermo *prætextatus*, de quo Paul. Diaconus: *Prætextatis nefas erat obſceno verbo uti, ideoque prætextatum appellabant ſermonem, qui nihil obſcenitatis haberet.*

III. Hæc deferebatur a pueris ad annum uſque decimum ſextum, quo, pompa magna deducti in forum, invitatis ad hoc amicis, & cognatis, depoſita prætexta, togam virilem ſumebant; Lares vero mutatæ veſtis teſtes dabantur; hinc Propert. lib. IV. eleg. 1.

*---- Bulla rudi demiſſa eſt aurea collo,*
*Matris, & ante Deos libera ſumpta toga.*

Quamvis hæc ſubinde conſuetudo abolita, annique *prætextati* fuerint contracti; cujus rei teſtem habemus Tacitum L. I. C. 1. Nam Auguſtus *genitos Agrippa Cajum, ac Lucium in familiam Cæſarum induxerat: necdum poſita puerili prætexta, Principes juventutis adpellari, deſtinare conſules, ſpecie recuſantis flagrantiſſime cupiverat*; quod excuſus hic numus confirmare videtur.

Idque




Idque ex eo, ut facilius, eoque celerius imperio ferendo pares eſſent; ſic Suetonius in D. Octav. C. 38. *Liberis Senatorum, quo celerius reip. adſueſcerent, protinus virilem togam, latam clavum, & curiæ intereſſe permiſit.* Hæc de nobili puerorum veſtitu. Nunc, quam de ſignis ſeu civilium vel militarium Magiſtratuum, ſeu Sacerdotum dicamus, ea ſcribenda putavimus ante, quæ ſingularem adultorum jamjam Patriciorum veſtem concernunt; quæ quamvis aliquibus leviora videantur, ejusmodi tamen ſunt, quæ unum alterumve difficiliorem ſcriptorum locum illuſtrabunt. Hinc de Calceo, de lato & anguſto clavo capite ſequenti.

# CAPUT V.

## De Lato Clavo, & Calceo Romanorum.

I. *Latum clavum*, quod & *laticlavium* nuncupatur, fuiſſe inſigne ſenatorum; *anguſtum* vero Equitum, nemo eſt, qui dubitet; & hinc *latus* vel *anguſtus clavus* pro ipſo ſæpe *ordine ſenatorio*, vel

*equeſtri*, aut pro ipſo *Senatore*, & *Equite* ab authoribus accipitur. Sic Plinius Apollinari ſcribens ait Lib. II. Epiſt. 9. *Ego Sexto latum clavum*, id eſt, dignitatem ſenatoriam, *a Cæſare noſtro, ego quæſturam impetravi.* Et Sueton. in Nerone cap. 26. *a Laticlavo*, ſenatore nimirum, *cujus uxorem attrectaverat, pene ad necem cæſus eſt*. De Equeſtri ordine Statius Lib. IV. Sylv. V. v. 41.

*Hic parvus inter pignora Curiæ*
*Contentus arcto lumine purpuræ*
*Creſcis, ſed immenſos labores*
*Indole patricia ſecutus.*

Id quod pridem de Mœcenate, qui equeſtri & ſplendido genere ortus erat, Paterculus L. II. confirmat: *quippe vixit anguſti clavi plane contentus.* Accedit, Senatorem inter & Equitem præter latitudinem, & clavi anguſtiam aliud diſcrimen non fuiſſe, dicente Lampridio in Alex. Sev. c. 27. *Satis eſſe conſtituit, ut Equites Romani a ſenatoribus clavi qualitate diſtinguerentur.* Aſt

II. Quid fuerit *latus clavus*, quid *anguſtus*, cujus formæ, controvertunt antiquitatum Romanarum peritiſſimi. Exiſtimant alii cum Antonio Auguſtino, *Clavos* velut flores intertextos fuiſſe veſtibus, & inde togam vocitari *Clavatam*, quæ Feſtus *Clavata* veſtimenta adpellat; Aſt qui intertextum, quod exterius annexum poterat quavis occaſione ſeparari? quod aperte oſtendit in D. Octav. Suetonius c. 94. dicens: *Sumenti virilem togam tunica lati clavi reſuta ex utraque parte ad pedes decidit.* *Reſuta* id eſt, refibulata, nodo ſcilicet ſublato vel ſoluto, quo continebatur in humero dextro. Nec illorum ſententia

tentia placet, qui cum Scaligero *Conjectan. ad Varron.* Sentiunt, *Clavum* fuiſſe plagulam, quæ ab humeris in pectus demittebatur, ut erat epomis Græcorum, clavis quibusdam conſita; nam ita clavi erant tunicæ pars, ut illi aſſuerentur, non etiam, ut deſuper ſolum velut obiter injicerentur: & licet aſſuti fuiſſent, a veſte tamen, ut ex Suetonio demonſtravimus, ſeparari poterant, & eximi, ut in veſtem aliam transferrentur, & denuo adfibularentur. Si noſtræ opinioni credendum, dicimus *latum clavum*, ſeu *tunicam laticlaviam* nihil aliud fuiſſe, quam lineam purpuream ad inſtar faſciæ oblongam, & quadratam, non rotundum pannum, aut fruſtum clavi capiti ſimile, quæ linea a ſummo per medium pectus ad ima porrigebatur; ejusdem nobiſcum mentis eſt Grævius præfatione ad tom. VI. antiq. Roman. quæ ſic deſcripta facile reſui poterat, & aſſui.

III. *Latum* vero *clavum* tunc ſolum conſequebantur Romani, ſi in ſenatum ſunt adlecti, quod de ſe teſtatur Ovidius Lib. IV. Triſt. eleg. 10.

*Interea tacito paſſu labentibus annis,*
*Liberior fratri ſumpta mihique toga,*
*Induiturque humeris cum lato purpura clavo.*

Quam tamen amittebant, ſi ob delictum aliquod a ſenatoria dignitate, & ordine, juſſu Magiſtratus, aut principis ſunt dejecti; uti refert Suetonius in Tiberio c. 35. *Senatori latum clavum ademit, cum cognoviſſet ſub Kal. Julii demigraſſe in hortos.* Deponebatur etiam in luctu publico, ſi aut ab hoſte cladem paſſa eſſet respublica, aut alio grandi malo adfligeretur; quod factitatum legimus in Livio Lib. IX. c. 33. de

Caudino fœdere : *Extemplo ſine ulla publica autoritate conceſſum in omnem formam luctus eſt : tabernæ circa forum clauſæ : juſtitiumque in foro ſua ſponte cœptum, prius quam indictum, Laticlavi, annuli aurei poſiti, pene mœſtior exercitu ipſo civitas eſſe.*

IV. Supereſt de *Calceo* eoque patricio, non minimo Romanæ Nobilitatis inſigni dicamus. M. Cato Lib. VII. in Originib. ſcribit : *Qui Magiſtratum curulem cæpiſſet calceos mulleos, alii uncinatos ; cæteri perones ſumpſerunt.* *Mulleos* id eſt conſutos, ut probat Feſtus : *quos putant a Mullando id eſt, ſuendo dictos.* Per *uncinatos* intelligimus calceos inflexos, & repandos, ſic Cicero Lib. I. de Nat. Deorum : *Noſtram ſoſpitam nunquam ne in ſomnis quidem vides, niſi cum pelle caprina, cum haſta, cum ſcutulo, cum calceis repandis.* Erant autem calcei *Mullei* quatuor corrigiarum ex pelle molliori, ſeu *aluta*, nigrique coloris, pedem ac mediam tegens tibiam ; hinc Martialis Lib. II. Epig. 29.

*Coccina non læſum pingit aluta pedem.*

Et Horat. Lib. I. Sat. VI. v. 27.

*Nam ut quisque inſanus nigris medium impediit crus*
*Pellibus, & latum demiſit pectore clavum.*

Huic addebatur *lunula* argentea, non ut aliqui putant, ligulæ loco, ſed honoris cauſa, utque patricii a plebejis ſecernerentur ; teſtis eſt Juvenalis Sat. VII. v. 190.


*- - - - - Nobilis & generoſus*
*Appoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ.*

Et Statius Lib. V. Sylv. 2.

*- - - - - - - Genitum ſi curia ſenſit,*
*Primaque patriciæ clauſit veſtigia lunæ.*

Hujus

Hujus formam hic adjectam vides ex antiquo monumento.



Quod autem *lunula* honoris cauſa ſit adnexa, eamque ſolis Patriciis geſtare licuerit, habemus ex Iſidoro Lib. XIX. cap. 34. *Patricios calceos Romulus reperit quatuor corrigiarum, aſſutaque luna. Iis ſoli patricii utebantur. Luna autem in eis non ſideris formam, ſed notam cententarii numeri ſignificabat, quod initio Patricii ſenatores centum fuerint.* Utebantur etiam ſubinde calceis rubris, & puniceis; Virg. Elog. VII. v. 32.

*Purpureo ſtabis ſuras evincta cothurno.*

præſertim *Imperatores*, ut Dio Lib. XXXX. de Cæſare ſcribit, & *Victores*, cujus teſtimonium habemus in veteri inſcriptione, quæ ad C. Marii memoriam Arimini poſita legitur his verbis:

D. Manubieis. Cimbriceis. Et Teutoniceis.
Ædem. Honori. Victor. Fecit. Veſte.
Triumphali. Calceis. Puniceis.

Hæc de veſtibus Patriciæ Juventutis, & Magiſtratuum. Nunc cum Magiſtratus Civiles potiores ſint militaribus dicente Cicerone:

*Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ,*

Prius illorum, Dein cœterorum inſignia expediemus.

# CAPUT IV.

## De Sella Curuli, & Faſcibus.

I. SElla Curulis inſigne erat Conſulum, Prætorum, Cenſorum, & Ædilium, ex qua jus dicebant; Iſidorus L. XX. c. II. *Sellæ Curules erant, in quibus Magiſtratus ſedentes jura reddebant.* De Conſulibus Plin. II. Epiſt. II. *Sed cum fieret diſceſſio, qui Sellis Conſulum adſtiterant, in Cornuti ſententiam ire cœperunt.* Cicero in Verrem V. De Prætoribus: *Jam antea ſella ſedens Prætor, cum Provinciam Siciliam obtineret.* Ædilibus ſellam fuiſſe, ipſum nomen præſefert; dicti enim ſunt *Ædiles Curules*, ſeu Majores, ut diſtinguerentur ab Ædilibus plebejis; De Cenſoribus teſtatur Nieuportius Sect. I. c. 3. §. 5. in comp. Antiq. Rom. Hi enim in *Sella Curuli* ante Capitolium ſedentes cenſum equeſtrem agebant. Et Livius Lib. XI. c. 45. ait, Cenſores, M. Æmilium Lepidum, & M. Fulvium Nobiliorem, comitiis confectis, *in campo ad Aram Martis ſellis curulibus conſediſſe.* Hujus cenſuræ teſtimonia videre etiamnum licet in præclaro Numo, qui juſſu Vitellii Imperatoris eſt percuſſus. Ubi Cenſor in ſella *Curuli* pro tribunali ſedens, dextra manu protenſa cernitur, ante tres figuræ ſtantes, e quibus prima dextram in altum tollit cum inſcriptione L. VITEL. CENSOR.

II. Dictæ




II. *Dictæ autem ſunt Sellæ Curules, quia apud veteres Prætores, & Conſules propter itineris longinquitatem curru provehebantur, ſellæ autem, quæ poſt eos vehebantur, quibus ſedentes dicere jura ſolebant, a curru curules ſellæ ſunt nominatæ.* Hactenus Iſidorus Orig. Lib. XX. c. 11. erant autem hæ ſellæ eburneæ, ut Horatius teſtatur. Lib. I. Epiſt. 6. v. 53.

*Cui libet hic faſces dabit; eripietque curule,*
*Cui volet, importunus ebur.*

Unde etiam a Dionyſio Antiq. Lib. V. dicitur *Θρόνοσ ἐλεφάντινοσ.*

II. Quamvis, ut diximus, his ſellis *Prætores, Cenſores*, & *Ædiles* uſi fuerint, erant tamen præprimis inſignia Conſulum faſtigiumque Conſulare ſignificabant; inde etiam Conſularis illius dignitatis & quidem deſignatorum etiam Conſulum indices priſci, dictique ſunt vulgo numi Conſulares, cum *Sella Curuli* iis impreſſa. Cujusmodi inter alios occurrunt ſequentes numi, qni ſellam *Curulem* exhibent, primus cum ſignatis nominibus. A. TORQUAT. A. F. COS. M. MESSALA. M. F. Ex S. C. Alter CAESAR. III. VIR. R. P. C. CAES.

DIC. PERP. in quibus, aliisque id genus numi formam ſellæ *Curulis* cernimus.




IV. Hæ ſellæ etiam abſentibus, & mortuis ( de his capite poſtremo ) in theatris, templis ac Funere collocatæ, uni ſubinde plures. Quandoq; inter inſignia dona bene meritis regibus a ſenatu Romano miſſa; Tali ornatus eſt ſyphax, de quo Livius Lib. XXVII. c. 4. *Dona tulere togam, & tunicam purpuream, ſellam eburneam, & pateram auream.* Eodem Lib. & capite de Ptolomæo, & Cleopatra : *Regi togam*, dono miſere, *& tunicam purpuream, cum ſella eburnea; Reginæ pallam pictam cum amiculo purpureo.* Et Lib. XXX. c. 15. de Maſaniſſa, quem Scipio ſella curuli honoraverat : *Ibi Maſaniſſam primum Regam appellatum, eximiisque ornatum laudibus, aurea corona, aurea patera, ſella curuli, & ſcipione eburneo, toga picta, & palmata tunica donat.* Hæc de ſella curuli, nunc de Faſcibus.

V. Qui non immerito inter inſignia Romanorum Magiſtratuum recenſentur; hinc Nonius Marcellus Cap. IV. ait *Faſces qualem ſignificationem habeant manifeſtum eſt, ex Virg. Georg. Lib. II. illum non populi faſces, non purpura Regum flexit. Faſcem Conſulem poſuit, Virg. Georg. Lib. II. injuſto ſub faſce viam dum carpit.*


Erant

Erant autem Faſces alii *Prætorii*, alii *Conſulares*; iſti ſuperioris, ideo *ſummi* nuncupati; illi ordinis inferioris; Hos ſubmittebant minores Magiſtratus, aut penitus abjiciebant, quotiescunque Majores erant conveniendi; id quod Cicero ſibi contigiſſe refert in Orat. pro Plancio: *Nam ſimul ac me Dyrrachium attigiſſe audivit, ſtatim ad me Lictoribus dimiſſis, inſignibus abjectis, veſte mutata profectus eſt.* Ubi per *inſignia abjecta*, poſt factam *Lictorum* mentionem, faſces intelliguntur.

Unde etiam illuſtratur Rutilius Itiner. v. 175. Cum hac ipſa de cauſa *ſummos Faſces*, quibus erant inferiores *Prætorii*, vocet Conſulares:

*Sedula promiſit ſummos imitatio faſces,*
*Si fas eſt meritis fidere, Conſul eris.*

Hujusmodi autem Conſulares faſces exhibent ſequentes numi; in quorum altero *ſella curulis*; in ſingulis vero *Faſces* cum ſecuribus, aut *Coronis* etiam, conſpiciuntur: *Lictores* præterea in primo numo, qui eos ferre conſueverant; ac addita ſingulis ipſa Conſulum nomina: ut in priori BRUTUS; in altero, M. AEMILI. L.F. BARBULAE. COS. in tertio, CN. PISO. COS.



VI. *Faſces* autem dicebantur etiam ſine ſecuribus, qui alternis menſibus penes alterutrum conſulē fuere, non ad ſignum majoris poteſtatis, ſed ordinis; quod Suetonius de D. Julio tradit. c. 20. *Antiquum etiam retulit morem, ut quo menſe faſces non haberet, Accenſus ante eum iret, Lictores pone ſequerentur.* Rationem hujus adſignat Livius Lib. I. c. 8. ne videlicet uno pulſo, rege nimirum Tarquinio, duo Reges viderentur ſuffecti, terrorque duplicatus; Verba ſunt: *Omnia jura, omnia inſignia primi conſules tenuere. Id modo cautum eſt, ne ſi ambo faſces haberent, duplicatus terror videretur. Brutus prior concedente collega faſces habuit.* Subinde tamen utrique conſuli a ſenatu dati ſunt *Faſces*, ita ut uni duodecim cum ſecuribus, alteri ſine ſecuribus totidem ſint prælati; quod videre poteris apud Spanhemium diſſert. X. §. 1. de præſtantia, & uſu Numiſm. antiquorum.

# CAPUT VII.

## De Baltheo, ſeu Bulla militari, Torque, & Annulo.

PErfectis iis, quæ Familias & Civiles Magiſtratus attinent, de militaribus ſignis dicendum ſupereſt, unde & veteris & noſtræ nobilitatis pars maxima ſuam trahit originem; Nemo enim adeo hoſpes, aut in hiſtoricis peregrinus, ut neſciat, omne familiarum decus, & ſplendorem rebus militiæ præclare geſtis, præprimis deberi. Ordiemur itaque de *Bullis*, qui & *Balthei* dicti, de quibus jam ſupra.

I. Mo-

I. Monuimus Cap. III. alias eſſe, quæ infantum erant inſigne, & anno ætatis decimo ſeptimo Laribus conſecrabantur; alias vero *Bullas militares*, de quibus Appianus Libro de bellis Punicis: *Senatus Scipionem laudavit publice: Phamæam honoravit purpura, & Bulla aurea*, non illa, quæ fuit *puerorum*, ſed quæ *militum*. Erant autem *Bullæ* clavorum aureorum quædam capita, cingulis affixa: ob ſimilitudinem ita dicta, a bullis, quæ in aquis ebullientibus excitantur; Ejusmodi *Bullæ*, ut ait Iſidorus Lib. XIX. c. 31. *A viris geruntur - - - - - - dictæ autem ſunt bullæ, quod ſint ſimiles rotunditate bullis, quæ in aqua vento inflantur.* De his Virgilius Lib. IX. Æneid. v. 359. ſcribit Romulo Tiburti ab Euryalo dono miſſas fuiſſe:

*Euryalus phaleras Rhamnetis, & aurea bullis*
*Cingula: Tiburti Romulo ditiſſimus olim*
*Quæ mittit dona.*

& Lib. XII. v. 942. a Turno hoc inſigne Pallanti puero detractum fuiſſe, illumque, ex eo ab Ænea cognitum; ſic enim canit:

*- - - - Et notis fulſerunt cingula bullis*
*Pallantis pueri: Victum quem vulnere Turnus*
*Straverat, atque humeris inimicum inſigne gerebat.*

His autem *Bullis*, *Cingulo*, ſeu *Baltheo* mirum gloriabantur milites, easque ſingulariter ornabant, quibus velut militiæ præcipuo inſigni ſuperbiebant, ut refert *Lipſius in analectis ad militiam Romanam Dial. III.* Inde Varro de milite Romano ait, quod cingulum e corio haberent *bullatum*, & Calpurnius in Bucolicis:

*Alternat vitreas lateralis cingula bullas.*

De

De iisdem etiam *bullis* intelligi poteſt locus Luc. Annæi Flori L. II. c. 6. *Nec præter quod in bullis, ſingulisque annulis erat, quicquam ſibi auri reliquere.* Etſi non inficior, de puerilibus etiam *Bullis* Florum poſſe intelligi.

II. Inter cætera & præcipua militum inſignia, & dona, etiam *Torques*, numerantur, unde ſæpius, ut videbimus Capite de Familiarum nominibus, nomen traxere Romanæ gentes; ideo ſic dicti, quia torti erant, ut loc. cit. teſtatur Iſidorus. Quid ſit *Torques* deſcribit Probus, dum ait eſſe *circulum aureum, flexilem, obtortum, colli ornamentum, & ſummi pectoris.* Quare Propert. Lib. IV. Eleg. 11. v. 9. *Torquis ab inciſa decidit unca gula.* Et Silius Lib. XX. *Hic torque aurato circumdat bellica colla.*

Dabantur autem in virtutis teſtem, & prœmium, tum populis principibusque auxiliaribus, & externis; & quidem *aurei*; tum civibus, aſt *argentei* duntaxat; ut Plinius Lib. XXXIII. c. 11. teſtatur: *Auxiliares, & externos torquibus aureis donatos, at cives non niſi argenteis.* De illis Appianus libro de bellis Punicis, ubi Scipionem, perfecto Punico ſecundo, ex Africa triumphantem deſcribit, ſic habet: *Horum in medio quidam ſtolatus, ac purpuratus, ornatusque monilibus, & torquibus aureis*; Adeo, ut de his a Pop. Rom. obtentis etiam glorietur apud Tacitum Lib. I. Flavius Arminii Germanorum ducis frater: *Jactat aucta ſtipendia, torquem, & coronam, aliaque militaria dona.* De Civium vero *Torquibus* Lipſius Dialogo decimo ſeptimo hujus recenſet inſcriptionis fragmentum ex priſco lapide: C. GAVIO. L. F. DONATO. A. DIVO. CLAUDIO. BELLO. BRITANNICO.

TOR-

TORQUIBUS. ARMILLIS. PHALERIS. CORONA AUREA. & Tacitus Lib. III. c. 21. *Quo prælio Rufus Helvius gregarius miles, ſervati civis decus retulit, donatusque eſt ab Apronio Torquibus*, intellige ſecundum Plinium, *argentis*. Et ex hoc militiæ ritu manaſſe arbitror, quod hodie nobilitas Europæa, præprimis vero Principes ſibi vindicent *Torques*, quibus viros ſui ordinis, quorum plurimos inſtitutos legimus, eſſe cupiunt inſignes.

III. Cum vero ad *Torques* proxime accedant *Phaleræ*, de his nobis ſermo erit. Sunt autem *Phaleræ* teſte Nonio Marcello Cap. XVII. de genere armorum, *belli ornamenta*, quæ non minus ac Torques Equitibus dono dabantur, diſtinctæ ab illis, quibus equi inſternebantur, & ab Iſidoro Lib. XX. c. 16. *Ornamenta equorum* nuncupatæ. De illis Silius Ital. Lib. XV.

*- - - - - Phaleris hic pectora fulget,*
*Hic torque aurato circumdat bellica colla.*

& Juvenalis Sat. ult.

*Ut læti phaleris omnes, & torquibus omnes.*

Nunc ergo curioſe nobis diſpiciendum, quid *Phaleras* inter & *Torques* interſit; hi enim & illæ e collo pendulæ viſebantur. Diſcrimen ex Silii verſibus petendum exiſtimamus: quod Phaleræ demiſſe ad pectus pendebant, *Torques* vero ſtringebant magis ipſum collum. Diverſitas etiam in forma, quod illæ ſcutulorum adinſtar, planiores, & magis jacentes; iſti vero contori, & ex annulis, aut catellis plexi. Vide Lipſium. De militia Romana Dial. XVII.

III. Etiam Anulos inter Romanæ nobilitatis inſignia

ſignia fuiſſe clare teſtatur Florus Lib. I. c. 5. dum ai *Inde Faſces, Trabeæ, Curules, Annuli, Phaleræ, Paludamenta, Prætexta: inde quod aureo curru quatuor equis triumphatur: Togæ pictæ tunicæque palmatæ: omnia denique decora, & inſignia, quibus Imperii dignitas eminet.* Erant autem alii *ferrei*, quibus plebs utebatur; alii *aurei* quibus primores, & tribuni præſertim militum, qu equo merebantur, inſignes erant; id quod in rem meam Appianus aperte in libro de bellis Punicis *Scipio captivum quendam ſolutis vinculis miſit ad Asdrubalem, rogans, ut ſepeliret tribunos. Ille quæſitos inter cadavera, & aureorum annulorum agnitos judicio (his enim diſferunt a vulgo militum ferreos geſtantium) ſepeliit.* Hinc idem Florus Lib. II. cap. 6. de relatis in clade Cannenſi annulis refert: *Modii duo annulorum Carthaginem miſſi, dignitaſque equeſtris taxata menſura.* Et Livius Lib. XXIII. c. 12. *Adjecit deinde verbis, quo majoris cladis indicium eſſet, neminem niſi equitem, atque eorum ipſorum primores id gerere inſigne.* Atque adeo in ordinem equeſtrem evehi nihil aliud erat, quam jure annulorum potiri, ut legere eſt apud Suetonium in D. Julio c. 33. *Promiſſumque jus annulorum cum millibus quadringenis*; Hic enim cenſus erat ordinis equeſtris, qui a jure anulorum ſeparari non poterat; V. ad hunc locum Cauſabonum.

Hos tamen *anulos* luctus tempore ponebant Equites, ut factitatum legimus mortuo Auguſto apud Suetonium in D. Octavian. cap. 100. *Alii exequiarum die ponendos annulos aureos, ferreoſque ſumendos.* Erat enim ſubmiſſionis indicium, quod ferreos ſumere voluerint, quaſi qui principe deſtituti non niſi plebejos ſeſe faterentur; nam ut diximus, plebs ferreis

ferreis uſa eſt annulis; Livius quoque Lib. IX. cap. 7. dum de pace Caudina ageret, ob quam omnis civitas mœrore conficeretur, ſcribit, ſenatores Latum Clavum; Equites vero *Annulos aureos* poſuiſſe; adeo ut nemini dubium eſſe poſſit, inter præcipua Nobilitatis ſigna etiam annulos recenſeri oportere.

# CAPUT VIII.

## De Paludamento, Toga Palmata, & Picta.

I. INter reliqua vitæ militaris decora primum ſibi locum vendicat *Paludamentum*, veſtis & habitus Imperatoris, qui in nodo collectus ex humeris defluebat. De quo Iſidorus Orig. Lib. XIX. cap. 24. *Paludamentum erat inſigne pallium Imperatorum cocco purpuraque & auro diſtinctum. De quo Saluſtius, Togam, inquit, paludamento mutavit. Erat enim pallium bellicum, dictum, ut quibusdam videtur, quod eo indutus palam faceret Imperator bellum futurum.* Idem Varro Lib. VI. de L. L. & Livius Lib. II. Ca. 49. *Conſul paludatus egrediens in veſtibulo, gentem omnem ſuam inſtructo agmine videt*; Libro vero XLII. cap. 49. de ſolemni votorum nuncupatione, & illuſtri conſulum ex urbe egreſſu ſic ſcribit: *Per hos forte dies P. Licinius Coſ. votis in Capitolio nuncupatis, paludatus ab urbe profectus eſt. Semper quidem ea res cum magna dignitate ac majeſtate geritur; præcipue tamen convertit oculos, animosque cum ad magnum nobilemque aut virtute, aut fortuna hoſtem euntem Cos. proſequuntur.* Hujus Paludamenti figuram habemus in numo Valeriani infra expreſſam, ubi caput Valeriani lau-

laureatum conſpicitur ad pectus cum *Paludamento*; ex adverſa vero parte Valerianus, & Gallienus Paludati ſtantes dextris ſuſtinent globum, cui impoſita eſt victoria: hinc & inde prætorianus cum ſigno militari; cum hac inſcriptione: Victoria Auguſtorum.




Idem videre licet in numo Auguſtiſſimi Cæſaris Caroli VI. Anno M.DCCXI. excuſo, ubi Imperator proræ navis inſiſtens paludatus viſitur cum hac inſcriptione. *Luſtratis terra, marique finibus. Fortuna redux*: Hinc etiam nomen Imperatoris *Paludati*, ut militis a ſagis *Sagati*. Aſt quid locus ille C. Plinii in Panegyrico Trajani c. 56. *Geſtus non in hoc urbis otio, & intimo ſinu pacis: ſed juxta Barbaras gentes, ut illi ſolebant, quibus erat moris, paludamento mutare prætextam, ignotasque terras victoria ſequi.* Sigonius Lib. II. de antiquo jure populi Romani cap. 4. ſic explicat: paludamento prætextam mutare idem eſt, ac ex privato ad bellum, & in provinciam ire; ſicut teſte Iſidoro apud Salluſtium: togam paludamento

mutare

mutare eſt ex Magiſtratu contra hoſtes Imperatorem proficiſci. Cæterum manſiſſe hoc genus veſtis uſque ad tempora inclinantis imperii, docent ejus ſæculi Scriptores; & Claudianus in ſextum Conſulatum Honorij.

*- - - - Agnoſcent proceres, habituque Gabino*
*Principis & ducibus circum ſtipata rogatis,*
*Jure paludatæ jam curia militat aulæ.*

II. Etiam Togam, ſeu tunicam Palmatam, de qua hoc §, & Pictam, de qua ſequenti, inter inſignia Romanorum, præprimis triumphantium fuiſſe, teſtatur Florus loco ſuperius laudato: Inde *Togæ pictæ tunicæque palmatæ omnia denique decora, & inſignia, quibus imperii dignitas eminet,* & Tertullian. Apologet. cap. 50. *hic habitus eſt victoriæ noſtræ, hæc palmata veſtis, tali curru triumphamus.* Cujus etiam meminit Suetonius in Claudio cap. 17. ubi ejus Cæſaris triumphum recenſet: *Craſſus frugi equo phalerato, & in veſte palmata, quod eum honorem iteraverat.* Dicta autem *Palmata,* quia illi utebantur, qui *palmam* merebantur, aut ut alii volunt, quia in eadem palmæ intextæ viſebantur; unde a Sidonio in Panegyrico *Poſt palmam palmata venit.* Servabatur autem hæc veſtis in Capitolio pro uſu triumphi, quod tradidit Flavius Vopiſcus in hiſtoria Probi, dum ait: *Te enim manet pro virtutibus tuis Capitolina palmata;* & Capitolinus in Gordiano: *Palmatam tunicam, & togam pictam primus Romanorum privatus ſuam propriam habuit, cum antea hanc Imperatores de Capitolio acciperent.* Optime Livius Lib. X. Decad. I. *Cui Deorum hominem indignum videri debet, eis viris, quos vos*

*Sella curuli, toga picta, prætexta, tunica palmata, & toga inſuper picta, & corona triumphali, laureaque honoraſtis, quorum domus ſpoliis hoſtium adfixis, inſignes inter alios feceritis, pontificialia inſignia adjicere*, hactenus Livius de toga palmata.

III. Quam ſequitur toga *Picta*, de qua citatus modo Capitolinus, & Livius, ad quos accedit Ovidius Lib. II. de Ponto, Elegia I.

*Claraque ſumpturum pictas inſignia veſtes*
*Thura, prius ſanctis impoſuiſſe focis.*

Hæc inter inſignia triumphantium habetur, referente Macrobio Lib. VI. Saturnal. c. 6., illamque Tullus Hoſtilius inſtituit; fuit autem purpurei coloris coccique probatiſſimi; quæ à Palmata, niſi palmarum figura, vix differre reperitur, & fit manifeſtum ex Feſt. Pompejo Lit. P. Picta quæ nunc toga dicitur, purpurea ante vocitata eſt, eaque erat ſinè pictura; ejus rei argumentum eſt - - - - - pictura in æde Vertumni & Conſi, quarum in altera M. Fulvius Flaccus, in altera C. Papirius curſor triumphantes ita picti ſunt; Aſt expreſſius Iſidorus Orig. Lib. XIX. c. 24. *Toga autem palmata dicebatur, quam merebantur ij, qui reportabant de hoſtibus palmas. Ipſa vocabatur & toga picta, eo quod victorias cum palmis intextas haberet.* Hæc de Veſtibus triumphantium; Nunc de Armillis, Haſtis, Vexillis, & Fibulis.

CA-

# CAPUT IX.

## De Armillis, Haſtis, Vexillis, Fibulis.

I. INter dona etiam militaria, & virtutis Romanæ decora, numerantur *Armillæ*, humerorum ſcilicet tegumentum, quod in antiquis ſculpturis leonis capite ut plurimum inſignitur. Sunt autem ejuſmodi *Armillæ* viris collatæ victoriæ cauſa, dicente Iſidoro Lib. XIX. cap. 31. *Armillæ autem proprie virorum ſunt collatæ victoriæ cauſa militibus ob armorum virtutem; Unde & quondam vulgo virilia dicebantur.* Cur autem *Armillæ* ſint denominatæ, explicat Feſtus de verborum ſignif: *Armillas ex auro quas viri militares ab Imperatoribus donati gerunt, dictas eſſe existimant, quod antiqui humeros cum brachiis armos vocabant. Unde arma ab his dependentia ſunt vocata.* Ejuſmodi *Armillis* ſuos donavit milites Scipio, referente Val. Max. Lib. VIII. cap. 14. *Idem ut audiit Scipionem dicentem, Imperator te argenteis armillis donat: alacer gaudio abiit.* Eodem dono ornatos legimus apud Livium Lib. X. c. 34. Sp. Nautium, & Sp. Papyrium à Papyrio conſule, expugnatis Aquilonia & Cominio: *Sp. Nautium, & Sp. Papyrium Fratris Filium, & quatuor centuriones, manipulumque haſtatorum, armillis aureisque coronis donavit.*

II. Dabantur etiam viris fortibus in prœmium virtutis *Haſtæ*, dicente Iſidoro loc. cit. *Romani viros fortes ſæpe haſta donarunt.* Quæ tamen *Puræ* ſine

 ferro,

ferro, militibus emeritis, vel ob res egregie geſtas conferebantur. De quo Virgil.Lib. VI. v. 760.

*Ille, vides, pura juvenis qui nititur haſta.*

Hanc meritus eſt bello Britannico Poſis ſpado, ut refert. Sueton. in Claudio cap.28. *Libertorum præcipue ſuſpexit Poſidem ſpadonem, quem etiam Britannico triumpho haſta pura donavit.* Eximius in rem noſtram locus eſt Valer. Maxim. Lib. III. c. 2. ubi inter reliqua militaria dona L. Sicinii Dentati *Haſtas* refert, & *Armillas*, ſic enim ait: *Præferebantur enim aureæ coronæ octo; Civicæ XIV. Murales tres, obſidionalis una, Torques CLXXXIII, Armillæ CLX, Haſtæ XVIII.* Eadem de re etiam veteres lapides meminerunt, & fragmentum inſcriptionis, quod debemus Stevvechio ad hunc locum Valerij:

DONATO. HASTIS. PURIS. V.
VEXILLIS. VIII. CORONIS. MURALIBUS.
II. VALLARIBUS. II.

III. Ex hac inſcriptione colligimus, etiam *Vexilla* donis militaribus adnumerata fuiſſe, quorum in hunc uſque diem apud Germanos in armis ſuſpenſis eſt uſus; eorum præcipue, qui Comitum, Baronumq; titulos gerunt; imo & in ipſo Regis Galliarum inſigni duo vexilla à geniis ſuſtentata conſpiciuntur. Fuiſſe autem & Romanis eo in genere vexilla celebria, probati authores confirmant. Teſtis eſt Fla. Vopiſcus de Probo Imp. in eod. c. 5. *Cum bello Sarmatico jam tribunus, transmiſſo Danubio, multa fortiter feciſſet, publice in concione donatus eſt haſtis puris quatuor, coronis vallaribus duabus, corona civica*

*vica una*; *Vexillis puris quatuor.* & de M. Agrippa Suetonius in D. Octav. c. 25. *M. Agrippam in Sicilia poſt navalem victoriam cœruleo Vexillo donavit.*

IV. His ornamentis, & inſignibus adiungimus *Fibulas* militares, quas etiam Suetonius inter dona militaria recenſet in Tiberio cap. 6. *Munera, quibus à Pompejo in Sicilia donatus eſt, & chlamys & fibula.* & Livius Decad. IV. l. 9. c. 18. *Quintius alter prætor ſuos equites catellis ac fibulis donavit.* Idem teſtatur in Divo Claudio Trebell. Pollio in Epiſtola Valeriani Cæſaris ad Zoſimionem Procuratorem Siriæ: *Tunicas ruſſas militares annuas, Sagochlamydes annuas duas, fibulas argenteas inauratas duas, fibulam auream cum acu Cypria unam.* Hujus ornamenti, & inſignis militaris uſum obvium non fuiſſe, & communem; imò decus aliquod militum ſingulare, quo ſuos ſubinde ornatos & illuſtres eſſe volebant Imperatores, patet ex Flavio Vopiſco in Aureliano Aug. dicente, non niſi ſummo principum favore conceſſum fuiſſe militibus *fibularum* uſum; Has tamen ſubinde etiam puerulis datas legimus apud Livium Dec. I. Lib. 7., ut ad virtutem erigerentur, *Puerum annulo aureo, tunica laticlavia, Hiſpano ſagulo, & aurea fibula ornatum donat*; Ex quibus proinde verbis ſatis liquet, etiam *Fibulam* inter *Romanæ* gentis inſignia habitam fuiſſe, cum reliquis Nobilitatis, etiam primi ordinis, ſignis accenſeatur. Certe Virgilius Lib. V. Æneid. v. 312. enumerando dona & ornatum in agone funebri certantium, addit etiam *Baltheum*, & *Fibulam*, ſic enim canit:

*- - - - Lato quem circumplectitur auro*
*Baltheus, & tereti ſubnectit Fibula gemma:*

# CAPUT X.

## De Coronis.


I. QUamvis variæ fuerint Romanorum coronæ, quarum etiam ſcriptores meminere, eas tamen duntaxat deſcribam, quæ triumphantem de hoſtibus præprimis ornabant; Sunt autem *Pinnifera*, ſeu *Muralis*, *Roſtrata*, *Vallaris*, *Laurea*, *triumphalis*, *Graminea*, *Quercea*; cui adnectam *ſpiceam*, cujus figuram videre licuit apud eruditiſſimum, virumque laude digniſſimum reique antiquariæ peritiſſimum D. Ficinelli in numo rariſſimo Hadriani, quem noſtris ipſi manibus contrectavimus, & curioſi inſpeximus.

Sit itaque De *Murali*, Quæ *pinnarum* muri formam habet (& ideo, ut monuimus, dicta pinnifera) cujus meminit Aulus Gellius Noct. Attic. Lib. V. c. 6. *Muralis eſt corona, qua donatur ab imperatore, qui primus murum ſubiit, inque oppidum hoſtium per vim aſcendit*; Ad quam alludit Silius Ital. Lib. XIII. ſic canens:

*- - - - Gradivi cape victor honorem*
*Tempora Murali cinctus turrita corona.*

Tali cinctus Papirius, expugnato Sepino, urbem triumphans ingreſſus eſt, ut teſtatur Livius Lib. X.


X. c. 46, & Lib. XXIII. c. 48. ſcribit, Annibalem in oppugnatione Caſilini militibus ſuis propoſuiſſe, ut eo amplius eorundem ad pugnam animos accenderet; Lib. XXVI. vero c. 48, refert Scipionem, expugnata nova Carthagine, ſuos inter milites, Q. Trebellium, & Sex. Digitium litem hoc fere modo compoſuiſſe, dum pronuntiavit: *Se ſe ſatis compertum habere, Q. Trebellium & Lext. Digitium pariter in murum aſcendiſſe; ſeque eos ambos virtutis cauſa coronis muralibus donare.*



II. Huic accedit *omnium Nobiliſſima Roſtrata*, ipſis Ducibus data, qui navale aliquod magnum decus, aut victoriam magna induſtria peperiſſent; de hac Virg. Lib. VIII. Æneid.

*Parte alia ventis, & Diis Agrippa ſecundis*
*Arduus, Agmen agens, cui belli inſigne ſuperbum*
*Tempora Navali fulgens roſtrata corona.*


De hac etiam corona intelligendus Livius Lib. XXVI. c. 48. *Ante omnes C. Lælium præfectum claſſis, & omni genere laudis, ſibimetipſi æquavit*, Scipio nimirum, *& corona aurea ac XXX. bobus donavit.*



III. Roſtratam ſequitur *Vallaris*, dicta etiam *Caſtrenſis*, de qua itidem Aul. Gellius Lib. V. noct. Attic. *Caſtrenſis corona, qua donat eum Imperator, qui primus hoſtium caſtra pugnans introivit.* Ejuſmodi corona donatus eſt Probus tempore belli Sarmatici, ut Flavius Vopiſcus teſtatur in Floriano, c. 5. *Cum bello Sarmatico jam tribunus, transmiſſo Danubio, multa fortiter feciſſet, publice in concione donatus eſt haſtis puris quatuor, coronis vall.:ribus duabus.* Item & Valerianus Auguſtus, apud Vopiſcum in Aureliano c. 13, huic gratias acturus ſic ait: *Cape igitur tibi pro rebus geſtis tuis coronas murales quatuor, coronas Vallares quinque, coronas navales duas, coronas civicas duas.* Quo etiam alludit Claudianus ſecundo de raptu Proſerpinæ:

Spiſſa

*Spiſſa Corona*
*Mœnia vallata.*



IV. Quarta eſt *Laurea* triumphalis, quæ eadem cum *Laurea* communierat, niſi quod foliis majoribus rubentibusque baccis eligebatur, qua potiſſimum in triumpho Romani utebantur; Cujus etiam forma in numis, quorum unum exhibebimus, etiam noſtra ætate frequentiſſima occurrit; hujus meminit Tacitus Lib. II. Hiſt. Aug. *Si foret adhuc bellandum, relinqueret materiam Druſi Fratris gloriæ, qui nullo tum alio hoſte, non niſi apud Germanos adſequi nomen imperatorium, & deportare lauream poſſet.* Clarius, magisque ad rem noſtram Livius Lib. VII. Decad. I. *Tum vincere cupimus, tum duce te vincere, tibi Lauream inſignem deferre, tecum triumphantes urbem inire.* Eſt & alia, *Popularis* nuncupata, quam geſtare in publica lætitia etiam privatis licebat, adeo ut aliquando integras legiones ita coronatas inceſſiſſe conſtet: Erat autem ex ſimplicis & communis lauri foliis, ſine baccis con-

texta. Huc pertinet illud Livii Lib. V. Decad. 5
*& Legiones ex Illyrico laureatæ urbem inibunt.* Et Herodianus Lib. VIII. Hiſt. Aug. cum necem Maximini deſcriberet in obſidione Aquilejæ, *quin exercitus etiam*, inquit, *qui Aquilejam circumſederat, pacato habitu prodibat laureatus.*



V. Omnium fere princeps eſt *Graminea*, quæ & obſidionalis; Obſidionis liberatori ab his, qui obſeſſi erant, dono data; dicitur graminea, quia fiebat e gramine, quod in eo loco natum eſſet, in qua obſidebantur. Poſt hanc fuiſſe Gemmatas & aureas, vallares, murales, roſtratas, civicas, triumphales contendit Plinius Lib. XXII. c. 3.; hujus rationem addit: *Graminea nunquam niſi in ſuprema deſperatione, contigit ulli, niſi ab univerſo exercitu ſervato decreta. Cæteras Imperatores dedere, hanc ſolam miles Imperatori.* Tali donatum fuiſſe Decium docet Livius Lib. VII. c. 37, dum ait: *Secundum Conſulis donationem, legiones Gramineam coronam obſidionalem clamore donum adprobantes, Decio imponunt.* Sic etiam

etiam intelligendus Claudianus in carmine ſuo Panegyrico Olibrii & Probini:

*Haud procul exacto, lætus certamine victor*
*Ceſpite Gramineo conſederat.*



VI. *Civica* corona ſeu *Quercea* eſt, quæ ob civem ſervatum, ex foliis quercus nexa, donabatur; propterea quod is antiquiſſimus cibus eſſet, & ipſi Jovi ſacra arbos, ſub cujus tutela & civitates olim fuere. Hujus meminit Lucanus Lib. I. Pharſal.

*Lælius emeritique gerens inſignia doni,*
*Servati civis, referentem præmia quercum.*

Hanc ſibi perpetuam voluit Cæſar apud Dionem, ad cujus fores coronæ *Querceæ* ſuſpendebantur, quod perpetuus eſſet *Civium* ſervator. Quam ſibi etiam conferendam fuiſſe ſcribit Cicero in Piſonem: *Is mihi Civicam coronam deferri à republica dixit.* Et rurſus pro Plancio: *Ad id etiam Gregarii milites*

*militeſ faciunt inviti, ut ſe ab aliquo ſervatos eſſe fateantur, & coronam Civicam dent.* Hac olim obtenta ſe à morte liberandum putaverat Manlius teſte Livio Lib. VI. c. 20, dum oſtenderet dona militaria, *in quibus inſignes duas murales coronas, Civicas octo.* Et Lib. X. c. 46. refert idem Livius in triumpho Papirii multas *Civicas coronas, vallaresque ac Murales conſpectas* eſſe. Hæc de Coronis triumphantium.



VII. Supereſt, ut aliquid de *Spicea* in medium adferamus; Quæ quamvis triumphantium non ſit, cum tamen, ut ſup. monui, in numo Hadriani conſpiciatur, aliquid dicendum putavimus. De Ejuſmodi Corona legitur in Tacito Lib. II. c. 4: *Verum nocturnæ quietis ſpecies alteri objecta, tanquam vidiſſet Claudium ſpicea corona evinctum, ſpicis retro converſis; eaque imagine gravitatem annonæ dixiſſet.* Aſt quid? ea corona alias non infelix, omen triſte habuit? Cum tamen Hadrianus inter feliciſſimos ſui ævi principes recenſendus. Quid ergo dicen-

dicemus? Hadrianum *Spicea* corona cinctum fuiſſe feliciſſimum? ita omnino; nemo enim tam rudis in re antiquaria, qui neſciat, Spicas, & coronas ex iis nexas, fuiſſe fertilitatis & abundantiæ ſigna; hinc etiam Cererem eadem corona decoratam Legimus apud Horatium in Carmine ſæculari v. 29. & 30.

*Fertilis frugum, pecoriſque tellus*
(Eleg. I.
*Spicea donet Cererem corona:* & Tibul. Lib. I.
*Flava Ceres, tibi ſit noſtro de rure corona*
*Spicea.*




Hinc etiam videmus plures numos excuſos, qui vel Principum liberalitatem, vel provinciæ ubertatem ſignificent, qualis eſt ille ab *Alexandrinis Ægyptiis* cuſus ſub Auguſto, in quo ſex *Spicarum* Faſciculus, quem infra adjecimus.

Aſt-




Aſt qui conciliabimus cum Tacito, qui eanden
dicit infauſti fuiſſe ominis? Si bene locum Scri
ptoris inſpexeris, nulla difficultas; ſcribit enim
coronam fuiſſe, *ſpicis retro converſis*, ideoque in
fauſti ominis, & ſignum gravitatis annonæ; qua
liter & Plinius Lib. XVIII. c. 2. ſcribit coronan
Caſſio inverſam impoſitam peſſimi fuiſſe ominis
ſic enim ait: *Corona ea alias non infelix, omen triſt*
*habuit, quod ſpicis eſſet retro converſis; ſicut quod ant*
*pugnam in Philippis, corona inverſa Caſſio impoſita.* E
quo conficitur, Hadrianum *ſpicea* corona inſignem
denotaſſe Principem bonum & liberalem, ſub cu
jus imperio frugum abundantia tum Romæ fuerit
tum in Provinciis.

# CAPUT XI.

## De Clypeo.

I. CLypeus quemadmodum belli tempore mu
nimen erat militum, quo corpora ab icti
bu

bus tegebantur; ita pace parta ſuſpenſus, atque obtrectatoribus objectus ornamenti quoque militaris locum accepit, in quo & ſuæ cuique imagines exprimebantur.

His plerumque in *clypeis* Majorum, aut ſuas imagines ſculptas vel pictas gerebant viri Principes; De *clypeata* ejusdem imagine Macrob. Lib. I. Saturn. c. 3. de Jocis Ciceronis ita refert: *Cum in ea provincia, quam Q. Cicero frater rexerat, vidiſſet clypeatam imaginem ejus ingentibus lineamentis uſque ad pectus ex more pictam.* Sic Scævola ſuo in *Clypeo* Mutii Scævolæ effigiem habebat teſte Silio Ital. Lib. VIII. v. 385.

*Ducit avis pollens, nec dextra indignus avorum*
*Scævola, cui diræ cælatur laudis honora*
*Effigie Clypeus.*

Scipio parentis & patrui effigiem apud eundem Silium Lib. XVII. v. 396.

*At contra ardenti radiabat Scipio cocco,*
*Terribilem oſtentans clypeum, quo patris & una*
*Cælarat patrui ſpirantes prælia dira*
*Effigies.*

Libro vero quarto bellorum Punicorum v. 150. legitur etiam Cryxus Celta ſuo in *Clypeo* geſſiſſe Romam ab atavo Brenno captam & auro redemptam:

*Ipſe, tumens atavis, Brenni ſe ſtirpe gerebat*
*Cryxus, & in titulos capitolia capta trahebat;*

*Tar-*

*Tarpejoque jugo demens, & vertice ſacro*
*Penſantes aurum Celtas umbone gerebat.*

Eadem hiſtoria inſculpta eſt *Clypeo*, haud ita priden in Britannia reperto, cujus delineationem, ut al Anglis nuper publici juris facta eſt, hic conſpic volui. Utrum vero monumentum hoc antiquun ſit, rectius judicare poterunt, qui idipſum ocu lis examinarunt.

Nec verò ſolum apud Romanos, ſed & exſte ras gentes hunc *Clypeos* pingendi uſum obtinuiſſe teſtis eſt Liv. Lib. XXV. c. 39. ubi, deſcripta Ca ſtrorum Asdrubalis expugnatione ſic ait: *in ea fuiſſe Clypeum argenteum pondo centum triginta octo cum imagine Barchini Asdrubalis.*

II. Dicebatur autem *Clypeus*, non à *cluendo*, ut aliqui putant, ſed à Græca voce, γλύφειν, quod Græcis eſt *ſculpere*, quod in eo aut ſculperentur, aut etiam pingerentur Majorum imagines, vel inſignia. Unde patet diſcrimen eſſe *Clypeos* inter & imagines, ut ſupra advertimus; & clare conficitur ex Suetonio in Domitiano, ubi in odium hujus Principis, legimus & *clypeos* & *imagines* ejus ex curia detractas, & ſolo adflictas fuiſſe.

III. Hos autem *Clypeos* ſuis imaginibus factisve illuſtres non ſolum Duces, aliique geſtabant, ſed etiam ob præclara in patriam merita, abſentibus Provinciæ dedicabant, quibus earundem virtutem, ſuamque in viros Principes fidem teſtarentur; talem Conſtantino Auguſto Conſtanſtii Filio poſitum legimus in incerti Panegyrico C. XXV. *Merito igitur tibi, Conſtantine, & nuper Senatus ſignum*

*dedit*,


Dietell Sc:

*dedit, & paulo ante Italia ſcutum & coronam.* Et infra eod. capite: *Debetur enim divinitati & ſimulacrum aureum, & virtuti ſcutum, & corona pietati.* Hujuſmodi etiam Clypeo ornatus eſt Cajus, dictus Caligula, de quo, enumeratis ejusdem bene geſtis, teſtatur Suetonius in eodem, cap. 16:

*Quas ob res inter reliquos honores decretus eſt ei Clypeus aureus.* Idque honoris etiam defunctis delatum reperimus apud Tacitum Lib. II. cap. 38, *Clypeum* nempe auro, & magnitudine inſignem Germanico, dum illi juſta à populo perſolverentur, dedicatum eſſe. Quo etiam ſuum Antoninus Hadrianum honoraſſe dicitur apud Capitolinum; hunc morem egregie confirmat inſcriptio vetus apud Lipſium in ſuis excurs. ad Taciti Librum ſecundum:

NESTORI
AUG. NEPETE.
HIC. LUDOS. FECIT.
ET. DEDICATIONE.
STATUAE. PATRONI.
QUAM. IPSE. POSUIT.
ET. CLUPEI. SUI. ITERUM.
MUNICIPIBUS. NEPESENIS.
EPULUM. DEDIT.

# CAPUT XII.

## De Titulis, & Trophæis.

I. DUm de *Titulis* loquimur, non intelligimus *Nomina*, quibus Principes olim honorabantur, & quæ noſtro etiam ævo *titulorum* nomine veniunt. Sed de iis nobis ſermo eſt, quæ publice alicui rei inſcribuntur, & adſiguntur, & inſtar *imaginum* publicis monumentis inciſi, velut ornamenti prærogativa concedebantur; de quibus, ſi ſacris licet profana illuſtrare, in veteri ſacro codice legitur, Abrahamum lapidem in *titulum* erexiſſe. Horum *titulorum* M. Antonius apud Florum Lib. IV. c. 10. legitur fuiſſe appetentiſſimus, adeo ut de illo teſtatum reliquerit: *Dum titulorum cupidine Araxen & Euphraten ſub imaginibus ſuis legi concupiſcit.* & Lib. III. c. 5. *Perque omnia & decus & nomen, & titulos Pompejo ſua fortuna quærebat.* Talem apud Livium Lib. XXVIII. c. 46. ſibi poſuit Annibal. *Propter Junonis Liciniæ templum æſtatem Annibal egit: ibique aram condidit, dedicavitque cum ingenti rerum à ſe geſtarum titulo.* & Mart. Lib. X. epig. 71.

*Quisquis læta tuis, & ſera parentibus optas*
*Fata, brevem titulum marmoris hujus habe.*

II. Hi ergo *tituli*, aut marmori, incidebantur, aut alteri cuicunque lapidi; & ad aras ſuſpendebantur; Imo, ſi fides Suetonio, ipſæ ſubinde

aræ *tituli* vices obibant; Sic enim in Caligula refert c. 8. *Titulum* Matri Agrippinæ poſitum: *Aras ibi oſtendi inſcriptas ob Agrippinæ puerperium*; Id quod in ſimili confirmat Tacitus Lib. I. c. 14. Annal. *Aramque adoptionis, & alia hujuſcemodi prohibuit.*

III. Hæc autem fiebant, ut nomen Herois immortale commendaretur poſteris; unde Tituli ab Arnobio Lib. I. immortales nuncupantur, & Principes teſtificatione *titulorum*, quadam velut æternitate donari dicuntur. Hinc Tertull. Apolog. c. 45. ait: *Illis omnibus & ſtatuas diffunditis, & imagines inſcribitis, & titulos inciditis, æternitatem, quantum de monumentis poteſtis, ſcilicet præſtatis, & ipſis quodammodo mortuis reſurrectionem.* Hiſce titulis præclara virorum facta, provinciæ receptæ, urbes expugnatæ, populi devicti, montium & fluminum ſimulacra, aliaque facinora inſculpebantur; Sic Propertius Lib. III. eleg. 3. v. 16. canit:

*- - - - Et titulis oppida capta legam.*

Et Claudian. Lib. III. de laud. Stilic.

*Hi famulos traherent reges, hi fracta metallo*
*Oppida, vel montes, captivaque flumina ferrent.*

Quippe ad paſcendos voluptate animos, aliosque ad virtutem accendendos, & de Republica bene meritos ornandos ejuſmodi *Tituli* præferebantur. Hujus pompæ meminerunt Cicero Orat. in Piſon. Livius Decad. IV. Lib. VII. & Tacitus Lib. II. Annal., cujus etiam locum adſcribere placuit: *Germanicus Cæſar ad VII. Kal, Junias triumphavit de Cheruſcis*

*ruſcis, Cattisque, & Angrivariis, quæque aliæ nationes uſque ad Albim colunt: Vecta ſpolia, captivi, ſimulacra montium, fluminum, præliorum.* Ejuſmodi etiam *Titulum* Miſitheo à Gordiano III. dedicatum legimus apud Julium Capitolinum, cujus hæc ſunt verba:

MISITHEO. EMINENTI. VIRO. PARENTI PRINCIPUM. PRAETORII. PRAEFECTO. ET. TOTIUS. URBIS. TUTORI. REIP. S. P. Q. R. VICEM. REDDIDIT.

IV. Ad *Titulos* accedunt *Trophæa*, de quibus Iſidorus Lib. XVIII. c. 2. *Trophæum dictum ἀπὸ τῆς τροπῆς, id eſt, converſione hoſtis & fuga. Nam ab eo, quod hoſtem quis fugaſſet, merebatur trophæum.* Sunt autem *trophæa* corpora trunca ſpoliis, & armis militaribus inſignia, inter quæ clypei ſubinde rotundi, galea aperta cum cano & criſtis. Hæc vel in proxima arbore ſuſpendebantur, vel domum portata, pertica, aut gentilitia arbore tanquam inſigne & gloria virtutis auctæ ponebantur. Ad quæ alludit Claudianus Lib. I. in Ruffinum:

*Feſtinas urgete manus, meus ecce paratur*
*Ad bellum Stilico, qui me de more trophæis*
*Ditat, & hoſtiles ſuſpendit in arbore criſtas.*

V. Ejuſ-

V. Ejuſmodi *Trophæa* videre licet expreſſa in veteribus nummis, quos hic exhibemus.




Omnes ſunt Pauli ex gente Æmilia. In quorum primo viſitur *Trophæum*, cui dextram imponit L. Æmilius Paulus, ſtantibus prope Macedonum Rege Perſeo, ejuſque duobus filiis, vinctis eorum poſt terga manibus, cum inſcriptione: TER PAULUS. Alter verò exhibet itidem *trophæum*, quod ſua manu contingit Paulus; à dextris Perſei vinctis à tergo manibus ſtantis effigies, alterius vero ſedentis; Tertius oſtendit eundem Paulum cum *Trophæo*, Perſeum genibus nixum, cui lictor manus poſt tergum vincit.

VI. Hæc autem *Trophæa*, ſubinde ſaxea, aut in foro ſunt collocata in memoriam victorum ſempiternam; quale Mario poſitum, & à D. Julio reſtitutum legimus apud Suet. in eod. c. 11. *Trophæa C. Marii de Jugurtha, deque Cimbris atque Teutonis, olim à Sylla disjecta reſtituit.* Aut in eodem, in quo parta victoria, loco excitata; Huc pertinet quod Plinius Lib. XXXVII. c. 2. refert; Pompejum illum magnum *Trophæi* inſcriptionem con-

 ſtituiſſe

ſtituiſſe in jugis montis Pyrenæi; & idem Lib. III. c. 20. *Trophæi* Auguſti meminit His verbis: *Non alienum videtur, hoc loco ſubjicere inſcriptionem è tropbæo alpium, quæ talis eſt: Imperatori Cæſari Divi Fil. Aug. Pont. Max. Imperatori. XIV. tribunitiæ poteſtatis, S. P. Q. R. quod ejus ductu auſpiciisque gentes alpinæ omnes, quæ à mari ſupero ad inferum pertinebant, ſub imperium populi Romani ſunt redactæ.*

# CAPUT XIII.

## De Nominibus Illuſtribus Gentis Romanæ.

I. ERuditos, rei præſertim antiquariæ ſtudioſos, varia de Prænominibus, Nominibus, Cognominibuſque, Romanorum, diſſeruiſſe, & grandibus ſæpe Voluminibus inſeruiſſe, nemo eſt, qui neſciat. Ea de re pleniſſime ſcripſit Doctiſſimus Spanheimius, in Lib. de uſu & præſtantia Numiſmat. antiquorum, adeo ut nihil præterea quis poſſit deſiderare, aut etiam cogitare. Meum proinde non eſt, hiſce immorari, &, quamvis adoleſcentibus utiliſſimum foret, multis diſcutere. Alia ſunt, & diverſa ab illis *Nomina*, de quibus nobis hic ſermo. Intelligimus nimirum illa *Nomina*, quæ gentem aliquam illuſtrabant, & ſuperioribus accedebant. Hæc porro vel à jure adoptionis, vel præclaro aliquo facto, vel adjectis Reipublicæ provinciis, aut devictis etiam populis ſuam ori-

ginem

ginem trahebant. Hæc ſingillatim examinabimus, & primo quidem.

II. De iis, quæ *ex Adoptione* obveniebant. Adoptatio autem hæredis non fiebat duntaxat, ut in bona adoptantis ſuccederetur, ſed vel maxime, ut in ejuſdem familiam, titulos, Nomina tranſiret; quo fiebat, ut gentis honos & ſplendor, etiam apud poſteros, ſuſtentaretur: Sic legimus apud Suetonium in D. Julio c. 83. *C. Octavium etiam in familiam, nomenque adoptavit.* & apud eund. in D. Octaviano c. 101. *Hæredes inſtituit primos Tiberium ex parte dimidia, & ſextante, Liviam ex parte tertia, quos & ferre nomen ſuum juſſit.* Debebant itaque ejuſmodi adoptati adoptantis nomen adſumere, ſuisque etiam in nummis, aut aliis monumentis addere; id quod videmus in adjectis inferius numis, uno Trajani, altero Hadriani; in quorũ primo, Trajani nempe à Nerva adoptati, legitur: IMP. CÆS. NER. TRAJANUS AUG. GERMANICUS P. M. In Hadriani verò, qui à Trajano adoptatus eſt: IMP. TRAJANUS, HADRIANUS. AUG. COS.






II. Id vero mirum familiæ decus addebat, ſi aliquo præclaro facto, aut hoſte cæſo aut oppido expugnato ejuſmodi Nomina mereretur, quæ ſubinde ad poſteros deſcendebant, quibus ad imitanda Majorum facinora & virtutem ſolo etiam nomine accendebantur. Inde ſuam nacta eſt Nomenclaturam Druſorum familia teſte Suetonio in Tiberio c. 3. *Druſus hoſtium duce Drauſo cominus trucidato ſibi, poſterisque ſuis cognomen invenit.* & Manlius *Torquati* nomen ſortitus eſt, ut patet ex Flori Lib. I. c. 20: *Cum ſingulari certamine Manlius aureum torquem Barbaro inter ſpolia detraxit. Inde Torquati.* Eodem ſubinde Nomine inſignitus eſt ab Auguſto C. Nonius Aſprenas, dicente Suetonio in Octavian. c. 43. *In hoc ludicro C. Nonium Aſprenatem lapſu debilitatum aureo torque donavit: paſſusque eſt ipſum, poſterosque Torquati ferre cognomen.* Qualiter & ſuum L. Valerius nomen, *Corvini* ſcilicet, eſt adeptus, Floro ſcribente Lib. & cap. cit. *Iterum Pontino agro, cum in ſimili pugna L. Valerius, inſequente Gallo, ſacra alite adjutus retulit ſpolia, & inde Corvini.* Sic ſuum Martius Coriolis oppido Nomen debet, qnod *Coriolanus* ſit nuncupatus; Hic enim, Adoleſcens adhuc, teſte Livio Lib. II. erumpentium ex oppido hoſtium impetum non retudit modo, ſed per patentem portam ferox irrupit, & primus expugnavit. Huc pertinet, quod Seneca Phil. Lib. de brevitate vitæ, refert de Valerio Corvino: *Sane & hoc ad rem pertineat, quod Valerius Corvinus primus Meſſanam vicit, & primus ex familia Valeriorum, urbis captæ in ſe translato nomine Meſſana adpellatus eſt, paullatimque vulgo permutante literas, Meſſala dictus eſt.*

III. Ejuſ-

III. Ejuſmodi tamen Nomina, ſeu cognomina non ab oppidis duntaxat expugnatis, ſed ab integris ſæpe provinciis Imperio adjectis, Duces & Imperatores, nec immerito, ſibi adſcivere. Hinc Sergius *Fidenas* à bello Fidenate apud Liv. Lib. IV. c. 9. Metellus *Numidicus* à Numidia, *Macedonicus*. à ſubacta Macedonia, apud Florum Lib. III. c. 8. *Quatenus Metelli Macedonici Domus bellicis nominibus aſſueverat, altero ex liberis ejus Cretico facto, mora non fuit, quin alter quoque Balearicus vocaretur.* Hinc Mummius *Achaicus*, Valerius *Iſauricus*, Metellus *Dalmaticus*, Coſſus *Getullicus*, Scipio *Aſiaticus*, *Africanus*, ab Achaia, Iſauria, Dalmatia, Getis, Aſia, Africa ſubjugatis ſic adpellati. Hujuſmodi autem cognominum uſum refert Livius Lib. XXX. c. 36 ad Scipionem Africanum, quem alii, quamvis virtute, factisque minores, ſunt ſecuti: *Primus certe hic Imperator nomine Victæ à ſe gentis eſt nobilitatus, exemplo dein hujus, nequaquam victoria pares, inſignes imaginum titulos, claraque cognomina familiæ fecere.* Imo, & cadente Romanæ Reipublicæ majeſtate adeo invaluere, ut Imperatorum aliqui, vix conſpectis etiam provinciis, earundem ſibi titulos adſciverint, & nomina; id quod antiquitatis curioſo videre licet in nummis, qui frequentiſſimi occurrent cum Nominibus: *Sarmaticus*, *Dacicus*, *Parthicus*, *Arabicus*, *Armeniacus*, *Adiabenicus*, &c. utque Lectori antiquitatis curioſo ſatisfaciamus, horum aliquos ſubjecimus; quorum primus eſt Trajani cum hac inſcriptione: IMP. CÆS. NERVA TRAJAN. AUG. GERM. DACICUS P. M; alter vero Commodi, in quo hæc leguntur: IMP.

L. AUREL. COMMODUS AUG. GERM. SARM.




Hujus rei teſtem habemus lapidem Romanum, in Junonis templo, ſeu Mercurii, ut quidam ſcripſerunt, incendio conſumpto, & reſtituto à Septimio Imperatore, cujus præ foribus porticus variis columnis hodie cernitur, in ejus fronte hæc inſcriptio:

IMP. CÆS. L. SEPTIMIUS. SEVERUS. PIUS PERTINAX. AUG. ARAB. ADIABENIC. PARTHIC. MAXIMUS. PONTIFEX. TRIB. POT. XI. COS. III. ET. IMP. CÆS. M. AURELIUS. ANT. PIUS. FELIX. PONT. MAX. TRIB. POT. VI. COS. PROCOS. PP. INCENDIO. CONSUMPTAM. RESTITUERUNT.

IV. Id tamen præprimis mirandum, Nullius populi titulum, nomenque in nummis, lapidibus, monumentis frequentius occurrere, quam *Germanici*; ac ſi de his triumphaſſe gloriæ foret ſatis, aut certe

certe quia omnibus pene devictis, ſola, quæ vinceretur, ſupereſſet Germania. Hujus nomen poſt Tiberium plerique imperatorum ſibi arrogabant; Vitellius etiam Filium ab hoc populo, & gente adhuc invicta & pugnaciſſima vocari voluit. Hujus rei indices Imperatorum nummi extant pene innumeri; Sic *Cajus Caligula*, *Claudius*, *Nero*, *Vitellius*, *Domitianus*, *Nerva*, *Trajanus*, *Commodus* &c. hoc nomine gloriantur, uti conſpicies in adjectis Neronis & Nervæ nummis; adeo, ut ſupra diximus, Vitellius non contentus nomine *Germanici*, etiam Filium, teſte Lipſio, *Germanicum* adpellari voluerit; quod ſibi ſuisque poſteris ſempiternum adoptaverat antea Druſus apud Suet. in Claudio c. 1. *Præterea Senatus inter alia complura, marmoreum arcum cum trophæis via Appia decrevit, & Germanici cognomen ipſi poſterisque ejus.*







Singulariter hic etiam notandus venit locus Taciti Lib. I. c. 31. ubi, mota à Germanis contra duces ſeditione, eos ſic refert loquentes: *ſua in manu ſitam*

*zam rem Romanam, ſuis victoriis augeri rempubliam, in ſuum cognomentum adſciſci imperatores.* Ex quo conficitur, Imperatores de nullo magis, quam *Germanici* nomine fuiſſe ſollicitos. Aſt quo fine? audiamus Lipſium in hunc locum, cujus hæc ſunt verba: *Aſt quid eſt, quod hic milites in eo glorientur, niſi ſi divini & præſcii futurorum?* nimirum: Charius illis Germanorum nomen fuiſſe, quam Romanorum, ad quos aliquando totius Imperii Majeſtas, quæ à Germanis, quam à ſe, majori virtute ſuſtentaretur, eſſet transferenda.

# CAPUT XIV.

## D Sceptris, & Statuis.

I. RElíquis virorum illuſtrium inſignibus non immerito *Sceptrum* adnumeratur; ſcipio nimirum eburneus, qui modo dignitatis *Conſularis*, modo *imperatoriæ* index erat; de priori teſtatur Liv. Lib. XXII. in fine: *Scipio eburneus in manu, Sceptrum:* de altera Valer. Max. Lib. IV. c. 4. n. 5. dicens: *quæque modo arantium boum jugum rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt; nec fuit iis rubori eburneo ſcipione depoſita, agreſtem ſtivam aratri repetere;* Hoc tamen diſcrimine, illorum, nempe Conſulum, *nudos;* horum vero, Imperatorum nimirum, *impoſita ſibi aquila*, fuiſſe conſpicuos. Hujus authorem habemus Juvenalem Sat. X.

*Da nunc & volucrem ſceptro quæ ſurgat eburno.*

Cujus

Cujus etiam rei indices habemus tot veteres gentium Romanarum nummos, qui quadrigis triumphalibus vectos, ſcipionem dextra tenentes, oſtentant. Excepimus unum, alterumve ex Goltzio; primus in honorem Auguſti cuſus exhibet triumphantium ſigna, *Sceptrum* triumphale, togam pictam, & coronam lauream, cum inſcriptione: S. P. Q. R. PAREN. CONS. SUO. alter currum triumphalem cum quadrigis, in quo ſolum *Sceptrum* eburneum cum aquila in ſummitate ubi hæ literæ expreſſæ cernuntur: S. P. Q. R.




II. Inter Maxima Nobilitatis Romanæ ornamenta erant ſtatuæ, quæ non niſi ſummis viris, & his rariſſime, aut in foro, aut in templis dedicabantur; his enim aut facti magnitudinem, aut viri memoriam poſteritati præprimis putabant commendandam. Hinc Aurel. Caſſiodorus Lib. VIII. ep. 2. *Amore principum conſtat inventum, ut ſimulacris æneis fides ſervaretur imaginis, quatenus ventura*

*tura progenies authorem videret, qui ſibi rempublicam multis beneficiis obligaſſet.* & Tertull. Lib. de anima c. 33. *Ob merita vitæ imagines, ſtatuæ, & tituli rependuntur.* De quo etiam inſignis locus Taciti: *Triumphalia ornamenta, & illuſtris ſtatuæ honorem, & quidquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulate decerni jubet.*

III. Erant autem ejuſmodi *Statuæ* in multiplici differentia; aliæ enim erant *Pedeſtres, Equeſtres,* aliæ; De illis Tacit. Lib. IV. cap. 22. *Nam priores duces ſibi impetrando triumphalium inſigni ſufficere res ſuas crediderant, hoſtem omittebant. Jamque tres Laureatæ in urbe ſtatuæ;* Furii Camilli nimirum, L. Apronii, Junii Blæſi. Similis poſita eſt Accio Navio, Liv. Lib. I. c. 36. Horatio Cocliti Lib. II. c. 10. Legatis, qui Fidenis cæſi, in roſtris Lib. IV. c. 17. Glabroni patri aurata à M. Acilio Glabrione Duumviro Lib. XL. c. 34. Equeſtres tamen non niſi graviſſimis de cauſis conceſſæ, idque raro admodum, nec niſi optime de Rep. meritis, & clariſſimis quibusque viris. Teſtem habemus C. Vellejum Paterc. Lib. II. Hiſtor. cap. 61. *Eum* (Auguſtum) *Senatus, honoratum Equeſtri ſtatua, quæ hodieque in roſtris poſita, ætatem ejus ſcriptura indicat (qui honor non alii per trecentos annos, quam L. Sullæ, & Cn. Pompejo, & C. Cæſari contigerat) Proprætorem una cum conſulibus deſignatis, Hirtio & Panſa, bellum cum Antonio gerere juſſit.* Hunc primum honorem infans etiam tunc Roma exhibuit Virgini Clœliæ teſte Livio Lib. II. cap. 13. *Pace redintegrata, Romani novam in Fœmina virtutem novo genere honoris, ſtatua equeſtri donavere. In ſumma ſacra via fuit poſita virgo*

*virgo inſidens equo.* Dein vero Q. Martio Tremulo conſuli, devictis Hernicis; Liv. Lib. IX. c. 43: *Martius de Hernicis triumphans in urbem rediit: ſtatuaque equeſtris in foro decreta eſt, quæ ante templum Caſtoris poſita eſt.* Nec deſunt nummi, quorum fide ſcriptorum dicta firmemus; Unus Neronis Claudii Druſi ſufficiat, in quo porta triumphalis quatuor columnarum, cui impoſita cernitur *Statua equeſtris*, locato utrinque trophæo, cum hac inſcriptione: NERO CLAUDIUS DRUSUS GERMAN. IMP.




# CAPUT XV.

## De Titulis Pontificum, & Sacerdotum.

I. DIgnitas ſacerdotis ſummum erat Romanæ Nobilitatis Faſtigium, puta *Pontificis*, *Auguris*,

*Auguris*, *Sacerdotis* etiam *cooptati in omnia collegia ſupra numerum*, idque ex S. C. Hunc enim in finem nobiliſſimarum gentium viri, aut etiam adoleſcentuli ad *Sacerdotia* ſunt adſciti, ut in ſpem Imperii inter *Sacerdotes* adoleſcerent. Ratio hujus inſtituti petenda eſt ex priſtino Urbis Romanæ more juxta quem per aliquot omnino ſæcula Patritiis nobiliſſimisque familiis *Sacerdotia* conferebantur. Unde *Sacerdotes* è plebejis ſubinde familiis lectos fuiſſe, aut etiam legi debuiſſe ægrius tulere Patres, quam cum viderent ad Conſulatum etiam plebem evehi, & primum in urbe vulgari dignitatis gradum; cujus teſtem habemus Livium Lib. X. c. 6. ubi, orto patritios inter & plebejos gravi certamine, Q. & Cn. Ogulnii tribuni plebis hanc legem promulgarunt: *Ut cum quatuor Augures, quatuor Pontifices, ea tempeſtate eſſent; placeretque augeri ſacerdotum numerum, quatuor Pontifices, quatuor Augures, de plebe adlegerentur.* Hinc nobiliſſimi, ac Sacerdotes viri conjuncti leguntur Lib. II. apud Velleium, & apud Tacitum Lib. I. Hiſtor. c. 77. nobiles Adoleſcentuli avitis ac paternis Sacerdotiis ab Othone ornati; ſic enim habet: *ſed Otho Pontificatus Auguratusque, honoratis jam ſenibus cumulum dignitatis addidit; & recens ab exilio reverſos nobiles adoleſcentulos, avitis ac paternis ſacerdotiis in ſolatium recoluit.* Et apud eundem Lib. I. Annal. c. 1. Auguſtus Claud. Marcellum ſororis filium, admodum adoleſcentem, Pontificatu ornavit. Cur vero adoleſcentulos hoc etiam honore ornatos voluerint.

II. Cauſa eſt ex arcanis Auguſtorum conſiliis, ut,


ut, ſicut ſupremum rerum aliarum arbitrium, ita ſacra omnia, & cæremonias Deorum apud Romanos receptas in ſua, ſuæve domus haberent poteſtate. Hinc Cajus & Lucius Augures & Pontifices ab Auguſto creati, quo & ipſe Auguſtus ſubinde honore à Julio Cæſare, puer etiam nunc, ornatus fuerat; Unde id quoque, præter alia, ab iisdem, Julio & Auguſto, mutuati ſunt ſequentes Imperatores, ut filios ſuos deſtinatos in Imperio ſucceſſores, pueros adhuc & adoleſcentulos, Pontificatu inſignirent. Et tanti omnino honoris, & faſtigii credebantur Sacerdotia, maximus præſertim Pontificatus; ut Julius, dimiſſa provincia, maxima pecuniæ largitione, eundem Pontificatum ambierit, teſtante Suetonio in D. Julio, c. 13. *Depoſita provinciæ ſpe, Pontificatum maximum petiit, non ſine profuſiſſima largitione*, adeo ut ſuos æmulos, viros ampliſſimos, Q. Catulum, & P. Iſauricum ſuperarit, juvenis adhuc, & necdum præturam conſecutus. Nec ſibi duntaxat viri nobiles ejusmodi ſacras dignitates ambiebant, ſed poſteris etiam, adeo ut ejuſmodi tituli hæreditario nomine ad nepotes transmitterentur; juxta Tacitum enim Lib. II. c. 83. decrevit Senatus Germanico præter cœteros honores, *nequis Flamen, aut Augur in Germanici locum, niſi gentis Juliæ, crearetur.*

III. Et, quo quis pluribus *Sacerdotiis* ornatus erat, eo nobilior etiam habebatur; Hinc fiebat, ut modo in duo ſacerdotum collegia cooptarentur, ut C. Fabius Maximus creatus Augur & Pontifex, teſte Livio Lib. XXX. c. 26.; modo in omnia, nempe *Augurum, Pontificum, Septemviorum*

*Epulonum*, *XVvirorum ſacris faciundis*, &c. quod patet ex numo Neronis apud Spanhemium Diſſert. XII. §. IV. Sacer. Coop. In. Omn. Col. Supra. Num. hoc eſt: *Sacerdos Cooptatus in Omnia Collegia ſupra Numerum*; confirmatur hoc à Dione Lib. LIII. *Ex eo autem quod omnibus ſacerdotiis inaugurati ſunt Imperatores, & quod alios in pleraque illa collegia adſciſcunt, ſemperque unus eorum, ubi duo vel tres ſimul imperant, Maximum Pontificatum gerit, continuo fit, ut omnium religionum & ſacrorum Domini evadant.*

IV. Idque adeo invaluit, ut primis ſæculis nullus fuerit Imperatorum, qui *Pontificatus* titulo non gloriaretur. Quod inde factum licet conjicere, ut conjuncta nimirum ſuprema *Sacerdotii*, ac *Imperii* jura in ſe unum collata, ſummam proinde ſacrorum haud minus, quam rerum civilium ac militarium curam ſibi à Senatu Populoque Romano commiſſam teſtarentur Imperatores. Hinc ab Auguſto ad Gallieni tempora inter Cæſarum titulos paſſim legitur P. M. ſeu, *Pont. Max.* & interdum *Pontifex Maximus*; Quamvis aliorum ſit opinio, Baronii præprimis in annalibus, & Dalen. de Oraculis, eundem ritum obtinuiſſe ad tempora Gratiani uſque, Imperatoris licet Chriſtiani; idque confirmant ex variis veterum inſcriptionibus Conſtantini, Valentiniani, Valentis, Gratiani Augg. adjecimus hic exempli cauſa aliquos Auguſtorum numos, quorum ope dicta firmari placuit.

V. Ha-




V. Hactenus de *Sacerdotiis*; nunc vero deipſis perſonarum inſignibus, quibus aut *Sacerdotes* in ſacrificiis ornabantur, aut ſuam illi dignitatem palam faciebant. Erant autem *Apex*, ſeu *Tutulus*, *Lituus*, *Seceſpita*, *Pateræ*, *Aſpergillum*, *Capis*, *ſeu Capeduncula*, pauca de ſingulis.

VI. *Apex*, teſte Iſidoro Orig. Lib. XIX. cap. 30. erat pileum ſubtile, quo *ſacerdotes* gentiles utebantur; appellatus ab *apiendo*, id eſt, à ligando, cui ſuffragatur Sext. Pompejus Feſtus de verb. Signif., dum ait: *Apex, qui eſt ſacerdotum inſigne, dictus eſt ab eo, quod comprehendere antiqui vinculo, apere dicebant.* Hic vix differebat à *Tutulo*, Pontificum & Flaminum inſigni, de quo Feſtus: *Tutulum vocari ajunt Flaminicarum capitis ornamentum, quod fiat vitta purpurea innexa crinibus . . . . quidam pileum lanatum forma metalli figuratum, quo Flamines ac Pontifices utuntur.* Hinc etiam Pontifices *Tutulati* dicebantur ſecundum Varronem Lib. VI. de L. L. *Tutulati dicti, qui in ſacris Tutulū in capitibus habere ſolent.* Cujus imaginē ha-

 bes

bes ex adjecto nummo, cum inſcriptione: P. STOLO. III. VIR.




VII. *Lituus Augurum* erat baculus incurvus, quem manu apprehendentes *Augures*, trabea, togaque Augurali amicti, orientem verſus, certam cœli partem deſcribebant, antequam inſpicerent. Tantæ olim fuerat authoritatis, ut nihil magni in republica fieret inaugurato. Ad viros ſapientia & Nobilitate præcellentes ſacerdotium iſtud deferebatur. Serv. Sulpitius Lib. IV. Epiſt. famil. 5. honoraria munera, quæ Cicero geſſerat, recenſet fuiſſe *Prætorem*, *Conſulem*, *Augurem*. Hi ſoli, Augures nimirum, quanquam magnorum flagitiorum rei, non tamen Sacerdotio movebantur.

VIII. *Lituo* proxima eſt *Seceſpita*, & *Patera*. De prima dubitant, quid fuerit, & cujus, formæ; Paulus Diacon. ait: *Sceſpitam alii ſecurim, alii dolabram æneam, alii cultellum putant*; quod poſtremum veriſimilius eſt, dicente Feſto: *Seceſpitam eſſe cul-*

trum

*trum ferreum, oblongum manubrio eburneo, rotundo, ſolido, vincto ad capulum auro argentoque, quo Flamines, Flaminicæ Virgines, Pontificesque ad ſacrificia utuntur*; cujus formam, qualemcunque, hic adjicere viſum eſt. *Patera* verò, eo quod pateat, ita latine dicta; qua, teſte Varrone Lib. IV. de lingua latina, publicis olim in conviviis utebantur, nunc vero etiam in ipſis ſacrificiis; id quod in nummis occurrit frequentiſſime; Ex mille unum exſculpi curavimus, ut ipſo etiam typo, quid rei fuerit, lector erudiretur hoc in nummo figura ſedens, dextera pateram tenet, cum inſcriptione: P. M. TR. P. COS. III. *Juſtitia*.




IX. Reliquum eſt, ut de *Aſpergillo*, & *Capeduncula* pauca adferamus. *Aſpergillum*, ſeu *Aſperſorium*, & *Luſtrica*, qua aquam luſtralem aſpergebant, Victimasque cum aris luſtrabant. Fuiſſe & iſtud inter inſignia Sacerdotum teſtantur veteres ſcriptores, præprimis vero Familiarum, & Auguſtorum numiſmata, in quibus Aſpergillum ſuæ dignitatis,

tis, & Sacerdotii teſtimonium excudebant; Quorum unum hic coram vides, in quo *Seceſpita*, *Lituus*, *Aſpergillum*, *capeduncula*, cum inſcriptione: PIETAS AUG.




*Capeduncula* vero, ſeu *Capis* eſt poculi genus, dictum à *capiendo*, quod anſata eſſet, ut prehendi poſſit, id eſt, capi, cujus in ſacrificiis uſus erat frequentiſſimus. Has Cicero in Paradoxis *lapedines*, & *fictiles urnas* adpellat; Hujus itidem forma in ſuperiori nummo conſpicitur. Hæc de *Pontificibus*, & *Sacerdotibus*. Quamvis enim & alia fuerint hujus Ordinis, & ſacræ Nobilitatis inſignia, uti Prætexta, *ſella curulis*, *Coronæ*, de his tamen ſuperius dictum cum ſit, conſulto prætermittimus; & ad illa properamus, in quæ, ad ſuam aut probandam, aut oſtentandam gentis Nobilitatem, omnis Romanorum luxus ſeſe effuderat. Hinc

# CAPUT XVI.

## De Funere.

I. CUm propoſitum nobis ſit, his in pagellis Romanæ nobilitatis inſignia exponere, non poſſumus pompam *funebrem* prætermittere, quia in hac, non minus quam in cœteris, Familiarum dignitas, Nobilitas, antiquitas eluxere. Illa tamen huc ſolummodo congeremus, quæ noſtram materiam, de qua ſermo, mirifice illuſtrant; non enim noſtri eſt inſtituti, quorumcunque hic funera explicare, nec, quæ quomodocunque ad hunc ritum referuntur, deſcribere (hoc enim Roſinus præſtitit, aliique viri doctiſſimi) ſed ea duntaxat, quæ nobilium propria, eorundemque familias commendabant.

II. Primum erat, ut, abluto corpore, toga honeſta & candida induerentur; imo ejusdem materiæ, & coloris, quo etiamnum in vivis, utebantur, id quod docet Livius Lib. XXXIV: *Purpura viri utemur, prætextati in Magiſtratibus, in Sacerdotiis; nec id ut vivi ſolum habeamus inſigne, ſed etiam, ut cum eo crememur mortui.* Ita colligitur etiam ex Virgilio Æneid. IX.

*Veſte tegens, tibi quam noctes feſtina diesque*
*Urgebam, & tela curas ſolabar aniles.*

Optime Suet. in D. Julio. cap. 84. de ejuſdem Funere:

nere: *Funere indicto, rogus extructus eſt in Martio campo, juxta Juliæ tumulum: & pro roſtris aurata ædes ad ſimulacrum templi Veneris Genitricis collocata: intraque lectus eburneus, auro ac purpura ſtratus, & ad caput tropheum, cum veſte, in qua fuerat occiſus.*

III. Induto ſic corpore, mox *Cupreſſus* ad Fores per libitinarios deponebatur, ſignum funeris, ſic Horatius Lib. II. Carm. 14:

*Neque harum, quas colis, arborum,*
*Te, præter inviſas Cupreſſos*
*Ulla brevem dominum ſequetur.*

& Virgilius Æneid. Lib. VI.

*- - - - Et ferales ante Cupreſſos*
*Conſtituunt. - - - - - -*

*Cupreſſi* vero, teſte Sext. Pompejo, mortuorum domibus ideo adponebantur, quia hujus generis arbor exciſa non renaſcitur; ſicut & mortuo nihil jam eſt ſperandum. Nec tamen ad fores omnes funeſtas collocabantur: Cujus rei alia ratio nulla reddi poteſt, quam *raritas arboris* quod initio pauci in agris, aut intra urbanas villas eam arborem inſtituerent. Hinc divitibus ſolum, & *Nobilibus*, ejuſmodi ante fores *Cupreſſos* ponere concedebatur cujus teſtem habemus verſum Lucani Lib.III.

*Et non plebejos luctus teſtata Cupreſſus.*

IV. Arma gentilitia, & expreſſas in cera Majorum facies velut ſimulacra longo ordine in haſtis præferebant ſervi publici magno cum adparatu,

tu, ut ſtemmatis claritas eo manifeſtior eſſet. Hinc Horatius Lib. V. carm. 8.

*Eſto beata, ſunus atque imagines*
*Ducant triumphales tuum.*

Imo, omnia honorum inſignia, quæ defunctus vel unquam eſt conſecutus, ut *Faſces, Secures, Lictores, arma, & dona militaria, coronæ, ſellæ curules, vexilla, atque urbium dona, ſpolia hoſtium, munera* longo ordine ſpectabantur. Hujus pompæ inſignem locum invenimus in Polybio Lib. VI.: *Si quando apud Romanos quiſpiam ex illuſtribus viris ex hac vita diſceſſerit, elato funere portatur cum reliqua pompa ad roſtra ſic dicta in forum*; & paulo poſt, cum de *Imaginibus* dixiſſet, quas in veſtibulo ædium ponere, & colere conſueviſſent Romani, addit: *Faſces vero, & ſecures, ac reliqua Principatus conſueta, ſecundum dignitatem cujuſque præcedunt, qua, dum in vivis eſſet, in republica eminuit. Ubi ad roſtra veniunt, cuncti ex ordine ſellis elephantinis ſedent, quo ſpectaculo haud facile poterit quicquam ſpectari pulchrius juveni, gloriæ & honeſtatis cupido. Etenim eorum Virorum, qui virtutis gratia glorificantur, videre imagines, eaſque omnes veluti vivas, quem non excitaret? quodnam aliud pulchrius ſpectaculum?* Hactenus Polybius. Idem Tacitus de Funere Auguſti, Germanici, Juniæ, Druſi refert in Annalibus, de Auguſto Lib. I. ſic ſcribit: *Ut porta triumphali duceretur funus, Gallus Aſinius; ut legum latarum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur, L. Arruntius cenſuere*; De Germanico Lib. II. cap. 83.: *Ut nomen ejus Saliari carmine caneretur; ſedes curules ſacerdotum Auguſtalium locis,*

*locis, ſuperque eas querceæ coronæ ſtatuerentur; Ludos Circenſes eburna effigies præiret; neve quis flamen aut augur, in locum Germanici, niſi gentis Juliæ, crearetur. Arcus additi Romæ, & apud ripam Rheni, & in monte Syriæ Amano, cum inſcriptione rerum geſtarum, ac mortem ob rempublicam obiiſſe: ſepulchrum Antiochiæ, ubi crematus: tribunal Epidaphnæ, quo in loco vitam finierat. Statuarum locorumve, in queis coleretur, haud facile quis numerum inierit.* De Imaginibus vero prælatis amplius confirmatur ex pompa funebri Juniæ, & Druſi; de prima Lib. III. c. 76. ſic loquitur: *Viginti clariſſimarum familiarum Imagines antelatæ ſunt, Manlii, Quinctii, aliaque ejuſdem nobilitatis nomina.* De altero vero Lib. IV. cap. 9.: *Funus imaginum pompa maxime inluſtre fuit, cum origo Juliæ gentis Æneas, omnesque Albanorum reges, & conditor urbis Romulus, poſt Sabina nobiltas, Appius Clauſus, cæteræque Claudiorum effigies, longo ordine ſpectarentur.*

V. Quod ſi tamen defunctus ſummi Principatus locum obtinuerat, moris erat eundem *conſecrare*; id quod ab Auguſto inſtitutum, dein vero à Tiberio reſtauratum, ut nimirum divino quaſi honore adficerentur illi Imperatores, qui filiis, ſucceſſoribus ſuperſtitibus moriebantur. Longum foret *Conſecrationis* ritum, & cœremonias recenſere, quod eruditiſſimus Roſinus in perfectiſſimo antiquitatum Romanarum opere præſtitit; ſatis dictum, ſi factum fuiſſe oſtenderimus, ejuſmodi Principes, antiqua ſuperſtitione, inter Divos relatos eſſe; quod conſtat ex priſcis & frequentiſſimis numiſmatibus *Sabinæ* Auguſtæ, *Antonini Pii*, *Fauſtinæ* Auguſtæ, *M. Aurelii*, *L. Aur, Veri*, *P.Helvii*

*vii Pertinacis, L. Septimii Severi, Juliæ Piæ*; In quibus videre eſt poſitum monumentum cum defuncti effigie, aut pluribus etiam imaginibus, cujus in vertice currus inauratus, quo mortuus olim Imperator vehebatur, collocatus erat. Alias ſolam Aquilam, quâ defunctus ad aſtra deferri credebatur, in numis expreſſam cernes. Utriuſque exemplum adjecimus:







# CAPUT XVII.

## Comparatio modernæ Nobilitatis cum antiqua Romanorum.

I. *IMaginum* uſum in *ſcutorum gentilitiorum* formam deſiiſſe, nemini dubium eſſe poteſt; Ut enim illis Romani, velut ſuæ & priſcæ nobilitatis teſtibus, utebantur; ita & Poſterior ætas, hoc

hoc ſcutorum invento, quo Majorum præclare facta deſcribere conſuevit, ſuæ gentis & antiquitatem teſtatur & nobilitatem. Nihil tamen noſtra ætate ab antiquiſſimis illuſtrium perſonarum ritibus, moribusque diverſum deprehendimus, præter habitum, & veſtitum, quo etiam priſci ſeſe à plebe diſtingui volebant, & diſcerni; adeo ut noſtris ſæculis hoc in genere omne pene diſcrimen ſublatum eſſe videatur; Illi *Prætextas*, *Togas*, *Tunicas pictas*, *clavatas*, *& palmatas*, *Clavos latos*, *& anguſtos*, *Purpuram*, *Paludamenta*, *Calceos*, *Bullas*, aliaque veſtium ornamenta deferebant, quibus plebejis uti, etiam lege, & Senatus Conſulto vetitum legitur; Noſtra vero ætas, præter Scutorum Principumque diverſitatem, vix aliquid oſtentat; & hæc ipſa adeo trita ſunt, & vulgaria, ut ſummas ſæpe familias, gentesque antiquiſſimas ab homine *Novo*, ſubinde etiam *plebejo*, vix diſcernas. Hi ſcuta, hi coronas, vexilla, caſſides cœteraque nobilitatis inſignia, ac ſi virtute peperiſſent, ſibi vendicant, & temere arripiunt. Aſt hæc miſſa faciamus, illudque duntaxat recenſeamus, quæ noſtri ſunt inſtituti, & à Veterum ſignis vix diverſa in noſtris hodiedum ſcutis viſuntur.

II. Illi ſuis in *Clypeis*, uti oſtendimus Cap. XI deſcripta ferebant Majorum facta, aut Imagines; idem præſtat hodie omnis Nobilium ordo, qui ſui etiam Stemmatis antiquitatem, & ſigna illuſtria *ſcutis*, ut ajunt, gentilitiis commendant. Illi *Vexilla* aut hoſtibus in prælio erepta, aut à Ducibus ob inſigne factum dono data ſummo habebant in pretio, ſignumque Nobilitatis ſtatuebant; No-

ſtra

ſtra itidem ætas tanti facit, ut Galliarum etiam Reges non modicam ſcuti Regii partem in eo conſtituant.

III. Torques quanti fuerint priſcis ſæculis, ex eo liquet, cum inter præcipua Ducum, Principum, Regumque dona cenſerentur; adeo ut nonnullæ gentes ſuæ inde nomen familiæ indiderint; Nec parcius hoc in inſigni noſtrum eſt ævum; vix Principis aulam in Europa eſt reperire, quæ ſuo torque, velut præcipuo Nobilitatis teſte, non glorietur; eſt ſuus Equitibus *Aurei Velleris* Torques in Aula Imperatoris Auguſtiſſimi, eſt in Galliis Ordini *S. Spiritus*, eſt Crux pendula Melitenſibus, Teutonicisque, Torques *S. Georgii* Britannis, *Elephanti* Danis, ſunt alii aliis, quibus ſuam viri illuſtres palam faciunt generis *Nobilitatem.*

IV. Quod coronas attinet, habent ſuas antiqui, habent & noſtri; Illæ *Laureæ*, *Civicæ*, *Murales*, *Navales*, *Obſidionales*, quæ ex meriti, factique diverſitate diverſæ erant & diſtinctæ; iſtæ, quæ perſonarum diſcrimine differunt unice, ſunt *Cæſaris*, *Regum*, *Archiducum*, *Electorum*, *Ducum*, *Principum*, *Comitum*, & *Baronum.* Majores ex devictis Provinciis *Macedonici*, *Parthici*, *Adiabenici*, *Dacici*, *Germanici* &c. nomina ſunt adepti; Noſtri contra non ex iis duntaxat provinciis, quas armis ſubegere, ſed, quas ſuis ſubinde legibus ſapientiſſime temperant, ſibi ſuisque cognomenta adſciſcunt; Hinc Auguſtiſſimus noſter Carolus Sextus, *Romanorum* Imperator, *Hiſpaniarum*, *Hungariæ*, *Bohemiæ*, *Sclavoniæ* &c. Rex nuncupatur, quæ regna ſanctiſſimis ſemper legibus inſtituit, utque poſthac

hic

hic Felix, etiam in ſuis, imperet, à Bonis Superis votis ardentiſſimis precamur.

V. De Sacris hodie inſignibus quid adferam? plura certo ſunt, & longe illuſtriora, quam vel unquam ſuperſtitioſa antiquitas excogitare potuerit. Inſpiciantur, ſi lubet, Summorum *Pontificum, Cardinalium*, *Patriarcharum*, *Archiepiſcoporum*, *Epiſcoporum*, *Abbatum*, aliorumque virorum in re ſacra illuſtrium ſcuta, occurrent *Coronæ* triplices ſibi invicem impoſitæ, *Claves*, *Tiara*, *Pedum*, *Pallia*, *Cruces*, *Pilei* ad cujuslibet dignitatem vario nodorum ordine diſtincti, modo nigri, modo rubri; *Calices*, *Pilei* quadrati, aliaque quæ verum Sacerdotium mirifice in orbe Chriſtiano commendant.

VI. Nec deeſt noſtris ſæculis in ipſo etiam funere nobilitatis commendatio; Pompam olim funebrem illuſtrabant Majorum *imagines*, *Statuæ*, *Tituli*, *Monumenta*, quibus defunctos ornabant, & eorundem memoriam, gentisque gloriam reddere videbantur immortalem; Eſt & hodie ſuus defunctis Principibus, & perſonis illuſtribus honos; Eriguntur monumenta, adfiguntur ſcuta gentilitia tumbis, & aris; imo multis in locis, ubi defuncti memoria anniverſario die recolitur, easdem, ac ſi modo e vivis exceſſiſſet, terræque corpus mandaretur, cœremonias repeti comperies, adeo ut in orbe Catholico, ubi pro defunctis ad Deum preces fundere & fide docemur, & jubemur, jure longe potiori eorundem memoria fiat ſempiterna.

Hæc de Veterum inſignibus compendio ſcripſimus, ut, quod hactenus ſparſim, breviterque à

rei

rei antiquariæ peritis pertractatum fuit, id in unum colligeremus, & velut rudem quandam imaginem lectorum oculis objiceremus, opus plenum, & abſolutum nemo erit, qui exſpectet; ſtudium tamen noſtrum non ſperamus contemnendum. Sufficiunt pictori rudes ſæpe lineæ, ut artis peritum judicet, licet ſuis imago coloribus nedum ſit illuſtrata, ſuisque ſit umbris necdum diſtincta. Eo fere modo rem omnem digeſſimus, ut, quanquam multa ſint imperfecta, nihil tamen, quod ad rem ipſam pertinere videbatur, paſſi ſimus deſiderari. Boni conſulite, & favete.

8